ANNALES

ACADEMICI.

CIↃIↃCCCLXXIII—CIↃIↃCCCLXXIV.

LUGDUNI-BATAVORUM,

EX TYPOGRAPHEO I. C. DRABBE | PROSTAT APUD E. I. BRILL

1877.

31

Quae hoc Annalium volumine continentur, haec sunt:

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA.

ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA.

ACADEMIA GRONINGANA.

ATHENAEUM AMSTELODAMENSE.

ACADEMIA

LUGDUNO-BATAVA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

INDE A D. IX FEBR. A. CIↃIↃCCCLXXIII AD D. IX FEBR. A. CIↃIↃCCCLXXIV

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

MATTHIAS DE VRIES.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

DAVID BIERENS DE HAAN.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

I. H. STUFFKEN, rude donatus.
M. DE VRIES.
A. RUTGERS.
C. G. COBET.
R. P. A. DOZY.
R. FRUIN.
W. G. PLUYGERS.
H. KERN.
M. I. DE GOEJE.
I. P. N. LAND.

IN FACULTATE MEDICA.

G. C. B. SURINGAR, rude donatus; obiit d. 12 Ian.
F. G. KRIEGER, rude donatus.
A. E. SIMON THOMAS.
I. C. G. EVERS (muneri defunctus mense Maii).
A. HEYNSIUS.
I. A. BOOGAARD.
T. ZAAIJER.
M. POLANO.
D. DOIJER, Prof. extraord.
G. D. L. HUET,
I. I. ROSENSTEIN, munus auspicatus die 2 Maii.

IN FACULTATE IURIDICA.

I. DE WAL, rude donatus.
S. VISSERING.
R. T. H. P. L. A. VAN BONEVAL FAURE.
I. E. GOUDSMIT.
I. T. BUIJS.
A. E. I. MODDERMAN.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

I. H. SCHOLTEN.
A. KUENEN.
I. I. PRINS.
L. G. E. RAUWENHOFF.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

A. H. VAN DER BOON MESCH, rude donatus d. 3 Sept.
P. L. RYKE.
W. F. R. SURINGAR.
D. BIERENS DE HAAN.
P. VAN GEER, Prof. extraord.
E. SELENKA.
H. G. VAN DE SANDE BAKHUYZEN.

H. SCHLEGEL, titulo Prof. ornatus.
I. I. P. HOFFMANN, titulo Prof. ornatus.

C. A. X. G. F. SICHERER, Lector Litt. Germ.
C. I. E. BRUTEL DE LA RIVIÈRE, in Museo physico Adiutor.
C. C. I. TEERLINK, in Museo chymico Adiutor.
G. VALENTINER, Observator astron.
E. F. VAN DE SANDE BAKHUYZEN, Observator astron. alter.
I. G. VAN DER SLUIS, Prosector in Theatro anatomico.
C. A. PEKELHARING, Adiutor in Museo physiologico.
I. E. VAN ITERSON, Adiutor in Institutione clinica.

ORATIO

DE

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA LIBERTATIS PRAESIDIO,

QUAM

DIE IX FEBRUARII A. MDCCCLXXIV,

MAGISTRATU ACADEMICO DECEDENS,

HABUIT

MATTHIAS DE VRIES.

ADDITA EST RERUM ACADEMICARUM ENARRATIO A. MDCCCLXXIII—MDCCCLXXIV.

„Alsoo TOT EEN VAST STEUNSEL ENDE ONDERHOUDT DER VRYHEIT, ende goede wettelycke regieringe des lants, . . . insonderheyt ende voor alle dingen van nooden is, dat hier bynnen slandts . . . eene goede, genouchsame ende vermaerde schole ofte Universiteyt werde opgericht." . . . .

„Overmidts dat eene alsoedanige schole ende Universiteyt nyet anders wesen en sal als een vast blockhuys ende bewaernisse der gantschen landen."

GUILIELMUS I, d. 28 Dec. a. 1574.

„Ingratus ergo Belga fuerit, qui non agnoscat, ipso GUILIELMO Principe augurante, ex hac Academia prima assurgenti publicae libertati atque religioni supposita fuisse fulcra."

F. FABRICIUS in Orat. Saec. a. 1725, p. 46.

„GUILIELMUS, condita Academia Leidensi, theatrum libertati veritatique instruxit magnificentissimum, eoque Hispaniae longe graviorem cladem intulit, quam si validos exercitus internecione cecidisset."

PEERLKAMPIUS in Orat. Rector. a. 1839, p. 18.

L. S.

Prodit in lucem oratio aliquanto longior quam ex cathedra pronunciata est. Occurrendum erat auditorum satietati: itaque unum et alterum locum aut praetermisi aut in brevius contraxi, quae omnia nunc in editione addi potuerunt. Lectores enim suo arbitratu deponunt de manibus libellum et ubi commodum est resumunt.

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE
CURATORES, PROFESSORES, DOCTORES,
FAUTORES, ALUMNI,
AUDITORES HUMANISSIMI,

Faustis ominibus auspicamur hodie Academiae nostrae annum trecentesimum. Novus Rector Magnificus, cui iamiam fasces traditurus sum, cum munere decedet, Almae Matris saecularia tertia frequentes, ut speramus, et laeti concelebrabimus. Et erit profecto, cur tam fortunato die gaudeamus et tota nobiscum patria gaudeat. Si quid enim est quo Neerlandia nostra iure gloriatur, haec ipsa est Academia Leidensis, avitae virtutis et sapientiae splendidum monumentum, optimarum rerum officina, beneficiis paene innumerabilibus in cives et exteros collatis meritissima. Cuius historiam recolentes si cogitemus, quibus initiis orta quae incrementa ceperit; quot quales in omni disciplinarum genere numeraverit doctores ingenii et eruditionis laude conspicuos; quantum doctis horum lucubrationibus contulerit ad promovendam humanitatem, ad augendam communem mortalium felicitatem; quam multos in sinu foverit et ad praeclara quaeque informaverit excellentes alumnos, reipublicae mox columina et ornamenta; quid denique auctoritate et exemplo praestiterit ad sanctissima humani generis pignora tutanda: haec, inquam, et talia si reputemus, ecquis est quin animo moveatur, quin GUILIELMI Arausiaci, et Academiae et patriae patris, piam veneretur memoriam, totoque sibi pectore gratuletur, inclytam hanc Musarum sedem, post tam longam annorum seriem tamque varias rerum omnium vicissitudines, adhuc stare incolumem et firmam vigere! Quare agite, cives, et sextum iubilaeum hoc anno

exacto celebrandum alacri studio praeparate. Equidem, cum e muneris ratione hodie officium mihi incumbat ut publice ad vos verba faciam, curandum existimavi ut ea in re mea consisteret oratio, qua omnium mentes praeoccupatas esse intelligebam. Cogitationes enim vestras, hoc die anniversario in unam Academiam defixas, si alio divertere vellem, ut de loco aliquo e disciplina mea petito male sedulus dissererem, importunus ac molestus mihi viderer. Non tamen committam ut successori meo, festi saecularis panegyristae futuro, dicendi materiem praeripiam. Habebit ille sane uberrimam, nec mihi, credo, invidebit, si unam mihi sumsero particulam, eo duntaxat consilio selectam, ut — quod meum esse arbitror — diebus festis veluti praeludam et ad solennia rite obeunda vos invitem. Argumentum autem huic proposito consentaneum non anxius quaesivi. Fatebor ingenue. De oratione hoc die a me habenda numquam cogitavi, quin statim menti obversaretur, qua de re essem dicturus. Quid velim, significabo verbis viri celeberrimi, quem, ante haec septem iam lustra, seniores vestrum mecum audiverunt ex hoc ipso suggestu dicentem „de perpetua, quae Academiae Leidensi cum gente Arausiaca intercessit, necessitudine." Inter alia quae tunc eleganter exposuit PEERLKAMPIUS, praedicabat Academiam „conditam iis auspiciis, ea in urbe, eo tempore, ea celeritate, ut tamquam libertatis praesidium divinitus e coelo delapsa esse videretur." Ea verba, probe memini, me adolescentulum mirifice inflammarunt. Cum enim et Academiae et libertatis essem amantissimus, utrumque amorem in unum veluti coalescere sentiebam. Agnoscebam, id quod postea maturae aetatis experientia edoctus plenius intellexi, libertatem cum Academia arctissimo vinculo esse coniunctam. Ut enim haec sine illa stare omnino non possit, ita libertati quoque firmum deesse fundamentum sine liberali institutione academica. Tanto itaque Academiam commendatiorem nobis esse oportere, quanto efficacior fuerit ad sustentandam libertatem. In qua causa cum haec Academia Leidensis rem ita egerit, ut nulli inferior sit habenda, quin imo ut hanc tamquam propriam sibi gloriam vindicet, haec certe optimo iure et carissima nobis est et vero dignissima, pro cuius salute vota publica libentes nuncupemus. En iam dicendi locum sponte mihi oblatum, nec ab huius diei solennitate absonum, nec his auditoribus indignum. Dicam igitur de Academia Lugdano-Batava liber-

tatis praesidio. Quod argumentum non copiose et accurate pertractanti, sed — pro huius horae angustiis — primoribus tamquam labiis delibanti Vos, quaeso, AA. HH., benevolis auribus animisque favete.

Quod in proverbio Gallico est, nobilitatem facere obligationem, id in praesenti causa egregie valet. Nam cum haec sit Academiae nostrae nobilitas, quod filia fuit libertatis, filia autem naturae lege obligetur matrem diligere, colere, tueri: sponte intelligitur, Academiam Leidensem ipsa origine fuisse destinatam, ut libertatis praesidium esset. Neque hoc ita acceptum velim, quasi ioco dixerim aut mero verborum lusu: serio dixi et ad rei proprietatem accommodate. Hoc ipsum enim volebat Princeps Arausiacus, hanc voluntatem disertissimis verbis expressit, ut conderetur Academia, quae „libertatem fulciret et conservaret" [1]. Neque aliud volebant proceres, quorum opera et auctoritate utebatur. Immortale profecto sapientiae testimonium! In medio armorum strepitu, in summo civium discrimine pro aris ac focis dimicantium, Leida vix obsidione liberata, at Hispanorum copiis adhuc per Hollandiam grassantibus, cum alia omnia agenda viderentur quam quae ad tranquillum literarum cultum pertinerent, illi tamen, ceteris rebus postpositis, nihil antiquius habuerunt quam instituere Academiam, in istoque tumultu et trepidatione ea usi sunt celeritate, ut vix quatuor mensium intervallo Academia iam staret parata, ornata, inaugurata. Quippe intelligebant nascenti libertati hoc imprimis opus esse adminiculo. Non tantum enim requiri viros, qui patriam armis ab hoste recuperarent, sed etiam qui recuperatam consilio et auctoritate regerent, qui ius perite dicerent, qui iuventutem bonis artibus informarent, qui aegrotantibus opem ferrent, omnia denique obirent munera, quae civitati bene ordinatae necessaria sunt, at non possunt sine doctrina sustineri. Sentiebant praeterea religionem Reformatam, primariam certe causam cur a Rege defecissent, tandem excusso iugo respirantem tantisque miseriis et aerumnis ereptam, tamen nec firmam consistere nec vigere posse sine solidae eruditionis adiumento. Quamprimum itaque providendum esse ut succrescerent idonei antistites, humanitatis et theologiae studiis exculti, qui euangelium scienter explicarent et ecclesiam cum dignitate tuerentur. Et theologis quidem nostris illo tempore, in qua instituerentur, nulla dum schola patebat; iurisprudentiae autem et philosophiae et medicinae stu-

diosis praeclusae erant eae Academiae, quas frequentare hactenus consueverant nostrates. Lovanii enim et Duaci omnia parebant Hispaniae Regi et Pontifici Romano, nec vero ibi locus erat haereticis adversus fidem Catholicam ac maiestatem regiam rebellantibus. Qua de re si quis dubitare potuisset, locuples at flebilis testis erat Arausiaci filius natu maximus, PHILIPPUS GUILIELMUS, ducis Albani iussu Lovanio in Hispaniam abreptus et a paterna caritate pariter ac virtute avulsus. Cum igitur ad tutandam libertatem summopere necessarium esset, ut in ipsa patria disciplinarum officina conderetur, omnibus subsidiis probabiliter instructa ac Batavorum indoli accommodata, de loco, ubi foret condenda, non longa fuit deliberatio. Ipsa belli sors manifesto indicio Leidam designavit. Haec enim civitas, armorum vim cum fame et pestilentia pro patria fortiter perpessa invictaque constantia famam sibi nacta sempiternam, prae ceteris digna erat tam insigni ornamento, quo suus virtuti honos constaret. Nec vero Academiae, qualis liberum populum decebat, alia sedes aptior legi poterat quam ea in urbe, cuius cives nuper de libertate optime meriti essent. Hic „ipse urbis adspectus quantarum rerum memoriam revocabat [a])," quanta monstrabat exempla, quanta iuventuti generosae ad virtutem incitamenta. Hic quot monumenta et sepulcra, gloriae avitae recordatione etiam posteris testatura, hoc esse ingenui Batavi, a tyrannide abhorrere, nec ferre vim animo aut conscientiae illatam. In hoc igitur libertatis sacrario artium ac disciplinarum domicilium prudenti consilio maiores nostri collocaverunt. Unde denuo apparet quam vere dixerim, hanc Academiam ipsa origine destinatam fuisse ac veluti nobilitate obligatam, ut esset libertatis praesidium.

Antequam vero videamus, quem in modum illustrissimi Principis atque Ordinum Hollandiae spes hac quidem ex parte fuerit expleta, definiendum paucis est, quo sensu hoc libertatis nomen intelligi velim, quo saepius iam usus sum et saepe utar posthac. Si quod enim vocabulum alii aliter interpretari solent, hoc ipsum est in quo mea versatur oratio. Non equidem, quamvis in nomine Latino, ipsorum Romanorum exemplum sequar, qui libertatem regno opponebant, ut esset ea regiminis forma quam nos aut democratiam, aut e linguae Gallicae more rempublicam appellare solemus: quo sensu L. BRUTUM, regibus exactis, Romae libertatem

instituisse auctor est TACITUS. Nec magis curabo quae nostra patrumque memoria in Francia praesertim iactatae sunt de libertate opiniones, cum impotentissimi quique novarum rerum auctores, quidquid effrenata libidine molirentur, specioso hoc nomine commendarent scilicet, remque unam omnium pretiosissimam pessimo abusu infamarent. At quorsum haec? Ipse Arausiacus scripsit, Academiam libertati praesidio futuram. Nos ergo nomini eandem, quam ille voluit, vim ac potestatem tribuentes, libertatem simpliciter interpretemur ex consuetudine vitae sermonisque nostri, eumque liberum dicamus, qui, nemini obnoxius, suo arbitrio vivere possit, salvo tamen iure alieno. Est autem libertas duplex: publica et privata. Publica, quae civium universitatem spectat, ut nulli tyranno neque extero neque domestico subiecti, suis legibus suisque moribus placide vivant, et in procurandis reipublicae commodis suo quisque iure et officio pro virili parte fungantur: quae quidem libertas quam bene cum regno, dummodo iustis finibus circumscripto, sit sociabilis, ipsius patriae nostrae hodiernum exemplum abunde evincit. Tum vero libertas est privata, quae ad singulos homines refertur, ut unicuique liceat id agere quod naturae suae consentaneum sit, ita tamen ut ne officiat alterius libertati. Quae res cum omnia omnino vitae privatae negotia complectitur, tum autem praecipue spectatur in rebus politicis et ecclesiasticis, ut firmum sit cuique et inconcussum sanctissimum illud ius de rebus humanis ac divinis ita sentiendi ac palam dicendi, quemadmodum aut animi conscientia aut iudicii facultas dictaverit. Est enim hoc libertatis primarium bonum, ut de nulla non re nostro arbitratu cogitare ac cogitata aperte eloqui possimus, nulla cuiuspiam auctoritate impediti, sed id unum spectantes, quid verum et rectum et mortalibus profuturum esse videatur. Optimam profecto rem et generi humano unice salutarem! „Auream" hanc libertatem merito nostrates praedicare solent, cui vindicandae ac tutandae quantopere semper fuerint intenti, et tota patriae historia et haec ipsa Academia, illo tempore hac in urbe condita, luculento testimonio est.

Iam si quaeritur, quibus modis Academia, quae alia omnia agere videatur, praesidio esse possit libertati, equidem re considerata quatuor modos reperio. Primum enim ipsis institutis ipsaque vitae academicae ratione civium suorum mentes ad libertatem componere potest; tum docendi me-

thodo in iuvenum animis libertatis sensum alere atque excitare; porro in tradendis disciplinis libertatis causam strenue sustinere; postremo ad agendum etiam stimulare et, ubi temporum adsit necessitas, periclitantem patriae libertatem honesto certamine tueri. In hisce autem omnibus Academia Leidensis rem praeclare egit et nunc etiam agere pergit. De singulis breviter videamus, brevius quidem pro rei ubertate, ita tamen ut sufficiat auditoribus, quibus argumenta non explicanda sunt, sed ostendenda tantum ac veluti in memoriam revocanda.

Primo loco dixi instituta academica vitaeque academicae rationem. Quae quantum efficere possint ut et docentes artem suam libere profiteantur et discentes mature libertati assuefiant, nemo est quin videat. Haec autem in nostra Academia a primordiis inde talia fuerunt, ut ubique ingenuam populi nostri indolem referrent. Omnia hic ab ea imperii forma, quae Lovanii, Duaci, Parisiis, alibi valebat, diversissima; omnia, non ad regni, sed ad reipublicae normam composita; omnia libertatem spirantia. Sic nempe maiorum provida cura consulto ordinaverat. Non enim condiderunt scholam neque collegia, neque aliud quodcumque scholasticum institutum, sed Academiam, sive potius Universitatem. Neque Universitatem eo tantum sensu, qui hodie fere obtinet, ut universas disciplinas ad humanitatem pertinentes complecteretur, sed Universitatem sensu antiquo et magis Latino, ut esset corpus legum et magistratuum ius habens, sua ipsum natura liberum, nec summo imperanti magis obnoxium quam per communes patriae leges utique necessarium esset. Huic autem Universitati, cuius „ipsa opinio et nomen habebatur documentum libertatis et iuris [3])," non praefecerunt „C a n c e l l a r i u m aliquem, Pontificiae dominationis opus, in multis Reformati nominis universitatibus retentum," nec I u d i c e m, ut in Germania fieri consuevit, quem vicini nostri ridentes „Ministri Regii oculum" appellare solent; nec odiosum I n s p e c t o r e m, ut in Francia moris est; sed praefecerunt C u r a t o r e s, „nomen planum et mite, et Batavae indoli accommodatum." Verba haec sunt HOLTII, V. Cl., qui „de liberalitate maiorum nostrorum, academiis instituendis augendisque cognita" egregie exposuit [4]). Paucula addere iuvat, quibus V. Cl. hoc ipsum, ut Universitati praeesset Curatorum collegium, merito praedicavit. „Quod institutum", inquit, „dici non potest quam et ad servandas, et ad amplifi-

candas nostras academias, fuerit omni tempore beneficum."... "Creabantur quidem Curatores a summo imperante, id est ab Ordinibus Hollandiae: attamen minime erant in manu Ordinum. Libertate eorum, qua non modo professorum importunitatem moderari, iuvenum licentiam compescere, cleri Hollandici arrogantiam in ordinem cogere, sed etiam ipsis Ordinibus, cum id ex re Universitatis esse videretur, resistere sustinuerunt, eximia quaeque exstant in Leidensis Academiae annalibus testimonia."

En igitur Academiam statim ab initio ita sapienter constitutam, ut ipsa libera libertatem publicam alere ac confirmare posset. Suo enim iure plene utebatur sub prudenti Curatorum moderamine, qui eam non imperio regebant, sed auctoritate potius et vigili cura defendebant ac tuebantur. Porro libertatis academicae custos ac vindex Rector Magnificus, ex professorum numero creatus. Rebus autem Universitatis domesticis prospiciebat Senatus Academicus, ipsorum docentium collegium, quorum de communi sententia Rectoris auspiciis decernebatur quidquid reipublicae literariae utile esse videretur. Ceterum libera agendi et docendi ac publice scribendi facultas nulla conditione neque obligatione restricta; nihil legibus aut statutis praescriptum neque vetitum, quod cuiquam importunum esse posset; nullum libertati impedimentum, nisi quod a factionibus politicis et ecclesiasticis, aut a praeiudicatis illius aetatis opinionibus hominumve perversitate oriretur. Itaque Musarum cultores plerumque curis ac molestiis vacui vivebant, literarum studiis placide intenti, prouti cuique animus ferebat. Nota sunt multorum testimonia de libertate, qua cives academici in patria nostra fruebantur, quae exteris quidem haud raro invidiam movit. Unum nominasse sufficiat RUHNKENIUM. "Nos," ita scribit, "nos hic omnes reges sumus, in quos nemo mortalium imperium habet [5])." Quid mirum, peregrinos etiam, eruditionis laude prae ceteris florentes, libenter Leidam migrasse, ut regiae huius vitae participes salubrem hic libertatis auram spirarent? Curatorum autem ea in re summa semper fuit liberalitas, ut, Academiae augendae causa, doctissimum quemque huc vocarent ac quovis pretio allicerent. Qua munificentia dici vix potest quam bene de literis meriti fuerint. Est aliquid, acquisivisse DONELLUM, CLUSIUM, SCALIGERUM, SALMASIUM, GRONOVIUM, ALBINUM, RUHNKENIUM, PESTELIUM, WYTTENBACHIUM, et quos non alios! O eximia liberae Universitatis beneficia, quae non

tantum per tria saecula incorruptae libertatis domicilium et seminarium fuit, reipublicae decus et firmamentum, sed clarissima quoque exterorum lumina in Hollandiam nostram transtulit, ut nominis Batavi famam novo splendore illustrarent. Est profecto quod laetemur, insignem hanc Academiae libertatem ad nostra usque tempora floruisse. Per trecentos enim annos fere inviolata stetit, nec fuit interrupta nisi per triennium, cum Neerlandia nostra, atrocissimis calamitatibus afflicta, violenta NAPOLEONTIS dominatione oppressa iaceret. Mox vero patria in integrum restituta ac sub Rege e gente Arausiaca feliciter renovata, suus etiam redditus est Almae Matri honos. Decretum regium anni 1815 res academicas ad huius aevi normam reformavit: ita quidem ut summum regimen penes Regem esset, nec Curatoribus eadem potestas maneret, quae antea fuerat; professorum autem iura et officia accuratius definirentur; at ea tamen prudentia, ut iusta libertas nihil ceperit detrimenti. Quo factum est ut eadem, quae olim in Academia vigebat, iuris aequabilitate nos etiam ad hunc usque diem gaudeamus. Quin etiam — agnoscamus enim — meliori procul dubio nos utimur conditione, quippe quibus ab impotentia factionum in republica et ecclesia identidem saevientium, quarum vim veteres illi professores tam saepe magno cum damno experti sunt, in hac nostra legum praestantia nihil sit metuendum, quominus suam quisque artem liberi ac securi profiteamur.

Quae hucusque exposui, docentium praecipue iura et statum spectabant: restat ut de discentibus videamus. Atque haud scio an nusquam alibi terrarum tam plena et absoluta cuiquam fuerit libertas, quam semper fuit Academiae Lugduno-Batavae studiosis. Quae ut hodie magna utique est, ita a principio maxima fuit ac paene infinita. Recte enim intelligebant maiores, qua erant sapientia, iuventuti nullum esse acriorem ad praeclara quaeque stimulum, quam ut sui esse et suo Marte agere discerent. Austeram igitur disciplinam relinquendam esse seminariis Romano-Catholicis, in quibus addicti ecclesiae famuli informarentur; generosos vero adolescentes, liberam rempublicam aliquando vindicaturos, in ipsa libertatis luce institui oportere. Quapropter studiosis in omnibus fere rebus licentiam concesserunt pro illo tempore prorsus singularem. Pauci quidem, qui Collegio Theologico adscripti publicis sumtibus alebantur, certis sta-

tutis parebant, non sane admodum molestis; ceteri vero suo arbitrio vivebant, nullis legibus obnoxii nisi quae omnes cives communiter tenerent. Ut autem unicuique, cuiuscumque conditionis aut confessionis esset, aditus ad Universitatem pateret, diserte civibus academicis remissa erat obligatio iurisiurandi de servanda religione ab Ordinibus publice recepta; illudque privilegium, quidquid obstreperent clerici, constanter Curatores ratum habuere [6]). Praeterea quae apud exteros plurimae esse solebant regulae scholasticae et propriae leges de vita ac moribus studiosorum, nescio quas non res quibus non poenis anxie iubentes aut vetantes [7]), hic nullae fere erant; eoque ipso optime cavebatur, ne iuvenes, ut fert humana natura, in vetitum niterentur. Ceterum, si quid levius peccaretur, Rectoris et Assessorum prudentia leniter castigabat; si quid forte gravius, in foro academico causa agebatur. Non certe est quod miremur, in tanta licentia, petulantiam iuvenilem interdum effervisse, ut aut professoribus aut honestis civibus Leidensibus aliquid molestiae crearetur. Neque tamen ideo de libertate quidquam derogavere nostrates, quippe quibus persuasum esset, paucorum abusu nihilo deteriorem fieri rem unam omnium optimam, quae nisi illibata servaretur, florere Academia nullo pacto posset. Non tantum autem in vita civili haec iuvenum libertas spectabatur, sed etiam in studiorum cursu ac ratione. Quid discere vellent, aut quamdiu, aut a quo, libera cuique optio. In rerum addiscendarum copia quem ordinem quamve normam sequi placeret, ipsi videbant. Certam ac definitam studiorum viam, omnibus pariter calcandam, nulla lex praescripserat. Examina rara et lenissima, dicis causa plerumque instituta. Horrendam sane rem et vel ipso nomine odiosam multis nostrae aetatis hominibus, quorum iudicio in legitima lectionum frequentatione et examinum severitate posita sunt omnia! Quasi vero in pristina illa licentia pauciores ex Academia provenerint egregii alumni, solida doctrina eruditi omnibusque artibus instructi quibus patriae inservirent. De ipsa quaestione, quid in legibus academicis maxime sit commendandum, non huius loci est disputare. Monuisse sufficiat, plus olim illis adolescentibus concessum fuisse, quam nunc nostris datur, quos lex hac una in re nimis imperiosa in praefinitum studiorum cursum invitos plerumque compellit. Utinam novae legis, quam mox feliciter acceptum iri speramus, ea sit lenitas, ut importuna ista discenti-

bus vincula demat, libertatemque, antiquam illam Academiae nostrae laudem, restituat integram ac perfectam. Sed utut est, fateamur tamen, si hoc unum exceperis, etiam nunc studiosos Neerlandos esse optimo iure. Tanta enim in ceteris omnibus rebus utuntur libertate, quantam optare possint maximam. Una autem res est imprimis memorabilis, patriae nostrae propria et peculiaris, exteris exemplum, me iudice, imitatione dignissimum. Nostri enim iuvenes non, ut aliis mos est, per nationes discreti vivunt neque in sodalitia disiuncti, sed omnes uno corpore consociati suam sibi „civitatem academicam" efficiunt. Suum sibi habent Rectorem, suum Senatum, suos magistratus, omnium suffragiis creatos; in comitiis suis de rebus communibus decernunt; cum professoribus per legatos aut epistolarum commercio agunt. Tum nulla hic, quae alibi locorum, nobilibus aut divitibus privilegia; nulla cuiquam in vestitu aut ornatu insignia; omnibus idem ius, idem status, eadem conditio; nulla omnino distinctio, nisi quae aut ingenii aut studiorum praestantia parta sit. Nullus arrogantiae aut superbiae locus: virtutis enim, non natalium, splendor affert honorem. En sincerae democratiae, in qua omnes sint liberi, pares, fratres, expressam verissimamque effigiem! Iam vero publice dicendi scribendique quam infinita licentia! Cogitate, quae certis intervallis edunt, diaria libellosque annales, in quibus de nulla non re quidquid velint iudicant, nec nobis quoque professoribus parcunt. Bonum hercle factum et sanae libertatis indicium! Si quid in nos minus amice aut iniquius etiam iactatur, non multum commovemur; at laetamur, iuventuti nostrae eam esse *παῤῥησίαν*, quae decet ingenuos Batavos, ut quae sentiant aperte eloqui audeant, nec cuiuspiam auctoritatem in veri rectique aestimatione reformident. Quis vero, haec omnia qui reputet, negare poterit, hosce adolescentes ipsis institutis academicis vitaeque ratione egregie praeparari ut animos gerant vere Hollandos, eoque ipso Academiam, ut olim fuit, ita nunc quoque esse libertatis praesidium?

Sequitur ut dicam de docendi methodo, quae in Academia nostra plerumque fuit usitata. Cuius quae fuerit efficacia ad alendam libertatem, vulgus fortasse non assequitur, sed probe perspectum habent prudentiores. Notum est effatum veteris philosophi, „liberum esse neminem, nisi sapientem". Quod etsi alio sensu olim usurpatum, tamen ad hanc quoque

causam apte referri potest. Verae enim libertatis, quae in animo et conscientia spectatur, fons est et principium sapientia, sana illa rerum intelligentia, quae vera a falsis, recta a perversis, solida ac duratura ab inani specie distinguit, mentemque ad praeclara quaeque extollit. En vero ipsum illud, quod in instituenda iuventute ante omnia elaborandum esse censuerunt optimi quique, qui in hac Academia docuere. Non hoc curandum sibi existimarunt, ut quam maximam eruditionis copiam undique congererent discipuli, sed ut recte intelligere ac suo stare iudicio, id est, ut sapere discerent. Nec vereor ne quid de aliorum laude iniquius detrahere videar, si contendam regiam hanc docendi viam monstratam esse ac munitam a summis illis in veterum literarum disciplina heroibus, qui Universitatem nostram per tria saecula non interrupta paene serie nobilitarunt. Hi enim a IOSEPHO inde SCALIGERO ad COBETUM usque nostrum semper sic habuere, „artem interpretandi, grammatices et critices fundamentis innixam, primarium esse philologi officium" [8]). Quapropter in docendo hac constanter ratione usi sunt, ut et grammatica, qua nulla est ars ad excolendum animum efficacior, et assidua facultatis criticae exercitatione, auditorum ingenia alerent ac corroborarent, imprimis vero iudicandi solertiam acuerent. Ab his igitur iuvenes nostri didicere, non solum immortalia antiquitatis monumenta admirari, genuinum libertatis amorem ubique spirantia, sed etiam quid verum et rectum esset manifestis indiciis discernere, sanam in omnibus rationem sequi, nihil temere credere, nec quidquam amplecti nisi quod certum esset et compertum et exploratum, illius praecepti memores, in quo studiorum tamquam norma ac regula posita esset: omnis solidioris scientiae fundamentum esse dubitationem. Praeterea, quod summum est, didicerunt sui esse, nec iurare in verba magistri aut a cuiuspiam auctoritate pendere. Videtis, AA., quemadmodum sic non scholae tantum, sed vitae didicerint. Videtis, quae tali doctrina et exemplo in animos adolescentium sparsa fuerint libertatis semina. Quid enim? In hac schola instituti hisque praeceptis imbuti, cum ad virilem aetatem pervenerint, ut negotia publica capessant, nonne generosum dignitatis suae sensum ita retinebunt, ut nec vanis opinionum commentis a recto tramite abripiantur, nec in rebus humanis aut divinis vim sibi a quopiam inferri patiantur? Res ipsa loquitur, nec desunt egregia in historia

patriae exempla eorum, qui ex ipso hoc literarum studio eos spiritus gererent, ut nec "civium ardore prava iubentium", nec "vultu instantis tyranni" commoverentur. Ex fructibus, ut est in proverbio, cognoscenda est arbor. Fateamur igitur, praeclaram esse arborem, quae tales fructus gignat; nec dubitemus strenuos libertatis vindices appellare viros excellentes, qui in hac Academia philologiam professi sunt.

Horum igitur virorum tanta fuit auctoritas, ut quae docendi ratio in philologorum scholis valuit, eadem in ceteris etiam disciplinis ut plurimum valuerit. Neque enim nostri aut theologi, aut ICti, aut medici, aut rerum naturalium scrutatores plerique aliter egerunt. Qui cum omnes fere in Graecis ac Latinis studiorum tirocinia posuissent, nec mediocriter literis eruditi esse solerent, ab his profecti eam liberalitatem et iudicii sanitatem, quam in hac palaestra acceperant, in suam quisque artem contulerunt. Numquam placuit theologis nostris istorum vanitas, ut utar verbis Stultitiae apud ERASMUM, qui "negant e dignitate sacrarum literarum esse, si grammaticorum legibus parere cogantur" [9]). Imo vero, ipsius ERASMI exemplo, hic quoque incipiendum esse censuerunt ab accurata interpretatione, in qua nec de grammatices nec de critices iure quidquam derogaretur. Tum intellexerunt, in rerum etiam divinarum investigatione, ut aliquid proficere possimus, numquam deflectendum esse a recta ratione, in qua sita est unica veri inveniendi spes. Itaque discipulorum studia eo esse dirigenda, ut suis ipsi oculis viderent, omnia diligenter explorarent, prudentiam cum iudicii acumine coniungerent, nec metuerent in hac quoque disciplina eam adhibere dubitandi fidentiam, quae in ceteris saluberrima fuit [10]). Fidentiam dico, non audaciam aut temeritatem. Namque nihil ea in re inesse levitatis optime sentiebant; quae enim divina sint, dubitando non posse convelli; quae vero convellantur, non posse esse divina. Sponte intelligitur, quantum sic effecerint, ut libertatis sensus in iuvenum animis excitaretur. Non dico haec de omnibus, quotquot umquam theologiam hic docuerunt — fuere enim quibus non id animi esset ut sapere auderent —, sed dico de optimis, quorum exemplum tamquam norma fuit, quam plerique sequerentur. Ceterum, si quid olim secus obtinuerit, cum theologia quaedam quasi peculiaris disciplina ac veluti sacrosancta esse sibi videretur, ex temporum ratione facile explicatur. At

nostra aetate, in hac humanitatis luce, sanior persuasio theologis nostris, in hac quidem Academia, ita infixa haeret, ut plane absurdum iam habeant, suis in studiis aliam rationem sequi velle, quam quae in ceteris omnibus usu fuit comprobata. Nec scio an nusquam alia schola reperiatur, ex qua tot prodierint theologi libertatis amore flagrantes eiusque nunc in vita et ecclesia vindices.

Quid vero dicam de ICtis, quorum disciplina, cum tota in iure ac iustitia versetur, tantum abest ut libertati adversaria esse possit, ut potius propria eius custos et conservatrix sit habenda. In libera autem republica fieri vix potuit, quin munere suo ita fungeretur, ut plurimum inde in ipsam civitatem redundaret emolumenti. Huic igitur proposito docendi methodus apud nostros iuris antistites semper fuit accommodata. Praeclaram enim CELSI regulam secuti, „scire leges non hoc esse, verba earum tenere, sed vim ac potestatem," et in iuris Romani interpretatione, quae magna fuit institutionis pars, et in ceteris rebus ad iurisprudentiam pertinentibus, omni opera enisi sunt ut ex Academia evaderent non leguleii, quales CICERO appellat „cantores formularum, syllabarum aucupes" [11]), sed ICti vere patrii, sincera iuris scientia ac prudentia civili valentes, iustitiae et in foro et in curia defensores assidui. Quamquam quid attinet quaerere de docendi ratione ea in Facultate, in qua DONELLUS et VOETIUS et NOODTIUS et SCHULTINGIUS et VOORDA et KEMPERUS et THORBECKIUS docuere? Quorum virorum institutio, vel si sola methodo spectetur, omnium consensu talis fuit, ut, cuius discipuli in pectore hi non excitaverint libertatis spiritum, nae istum servituti natum fuisse contendam.

De medicinae et philosophiae naturalis professoribus absolvam paucissimis. Non enim meum est disserere de rebus a meo studiorum genere adeo alienis. At vel sic tamen affirmare ausim, horum etiam operam libertatis causae fuisse utilissimam. In ipsa Academiae inauguratione, cum pompa solennis per plateas duceretur, IANUS DOUSA festivo epigrammate salutavit tum alios antiquitatis heroes, tum HIPPOCRATEM et ARISTOTELEM, in hanc urbem advenas [12]). Ea salutatio veluti vaticinium fuisse mihi videtur. Semper enim in medicis nostris et naturae investigatoribus nescio quid Hippocraticum et Aristotelicum habitavit. Qui licet ingentem doctrinae copiam non spernerent, numquam tamen amaverunt polymathiam

istam, quae, ut Graeci aiebant, „sanam mentem non docet," sed sapientiam subacto iudicio comparatam. Testis sit unus omnium praestantissimus BOERHAVIUS, cuius aurea sententia „simplex sigillum veri" et ipsius instituendi methodum egregie declarat, et tamquam regula fuit, ad quam deinde alii suam dirigerent. Haud ultima autem BOERHAVII laus haec fuit, quod rerum naturalium scientiam, olim hypothesium levitate et inanium argumentationum vanitate depravatam, ad sanam et simplicem ipsius naturae observationem ac salubrem experientiam revocavit; eaque ratio postea adeo invaluit, ut nostra quidem aetate nemo iam sit harum rerum peritus, quin suam disciplinam hoc fundamento niti profiteatur. Quae res dici non potest quantum et humanitati et libertati profuerit. Namque nihil est, quod a praeiudicatis opinionibus et inepta superstitione certius animos liberet et ad altiora erigat, quam diligens et curiosa perscrutatio naturae, quae optima est et aliarum rerum et recte cogitandi sentiendique magistra. Hac igitur duce cordati iuvenes et sapere discunt et libertati assuefiunt. Animadvertitis, AA., quod de philologis vidimus, idem de ceteris omnibus valere. Ad maiorum enim exemplar in suis quisque scholis eo tendere solent nostri professores, in eoque amice conspirant, ut instituant non tantum viros doctos bonisque artibus excultos, sed cives etiam liberam civitatem virtute et constantia firmaturos. Unde apparet, quam bene Academia hoc quoque nomine libertatis praesidium dici mereatur.

Sed parum est professoribus docendi ratione adolescentium animis instillare libertatis amorem, nisi ipsi etiam et lectionibus et scriptis suis libertatis causam gnaviter sustineant discipulisque exemplum praebeant, non quod imitentur — imitatione enim homo suus esse desinit —, sed quo stimulentur atque inflammentur. Neque ea in re officio defuere nostrates. Quod olim CICERO dixit: „nobis nostra Academia magnam licentiam dat, ut quodcumque maxime probabile occurrat, id nostro iure liceat defendere" [13]), idem nobis de nostra, quantumvis eodem nomine diversa, praedicare licet. Hac ergo licentia ita plerumque usi sunt nostri doctores academici, ut exspectari poterat a civibus Batavis, quibus negata dicendi libertate ne vita quidem foret vitalis. Cum autem ea libertas praecipue censeatur in controversiis, quales aut de religione et ecclesia, aut de repu-

blica ad[illegible]a agitantur, de his potissimum dicam, cetera, quae his non[illegible]a at minoris momenti sunt, ne abutar patientia vestra, silentio p[illegible]turus.

Primum igitur ad theologos redeo. Nec diffiteor initio quidem multa obstitisse, quominus rata foret optima spes Ordinum Hollandiae et Principis Arausiaci, qui, cum Academiam conderent, in ipsa institutionis lege diserte scripserant, velle se „ut rerum divinarum scientia et publice et libere traderetur" [14]). Cum enim theologia haberetur ecclesiae ministra, ecclesia autem domina esset aliquanto imperiosior, procul aberat ut iusta professoribus licentia concederetur. Mox ortis acerrimis dissensionibus et ingravescente partium studio res eo devenit ut haud semel, qui opinionem ecclesiae minus acceptam confidentius defendisset, munere motus temeritatis poenas lueret. Quod ipsum tamen ostendit, fuisse qui disciplinam suam libere profiterentur, nec vim minasve reformidarent. Neque vereor affirmare, quantumvis angustis finibus illa aetate circumscripta fuerit libertas, plerumque tamen theologos Leidenses id sibi sumsisse audaciae, ut sententiam suam palam declararent. Quo factum est ut paulatim et clarior lux theologiae affulserit et ipsa libertas aucta fuerit et corroborata. Testes sint in antiquioribus ARMINIUS et EPISCOPIUS, liberioris in tractanda theologia methodi strenui propugnatores: alter studiosos hortari solitus, „ne mordicus adhaererent receptae doctrinae, sed omnia in utramque partem semper expenderent" [15]); alter eo ipso consilio una cum POLYANDRO a Curatoribus huc vocatus, „ut liberae sacri Codicis interpretationi prospiceretur" [16]). EPISCOPIUM, damnata in Synodo Dordracena Remonstrantium doctrina, cleri Hollandici impotentia ex Academia expulit; sed Leida exsul Amstelodami condito Seminario praefuit, quo nihil fuit efficacius ad instaurandam theologiae libertatem patrum Dordracenorum decretis aliquantum imminutam. Nec iniuria collegae illata professores Leidenses absterruit. Non enim desierunt sua sibi iura ab ecclesiae imperio vindicare, ipsique Synodo Provinciali, identidem flagitanti ut suae iurisdictioni se submitterent, constanter restiterunt [17]). Increbrescentem autem theologiam scholasticam, veritati libere inquirendae perniciosissimam, acerrime impugnavit COCCEIUS, vir summa laude dignus, qui cum omnem rerum divinarum cognitionem ex sacra Scriptura hauriendam esse censeret, ad accuratam eius interpre-

tationem theologos revocavit, excusso dogmatices iugo et confracta traditionis auctoritate, nec metuit in lucem proferre quae vera esse iudicaret, vel si ab ecclesiae placitis esset discedendum. Unde orta vehementissima contentione, clamantibus adversariis hanc vero esse "pravam omnia novandi libidinem" [18]), fortiter tamen perseveravit. COCCEII collega HEIDANUS philosophiae Cartesianae, ea aetate invalescenti, favebat, eoque fuit animo ut Curatores docendi libertatem vetando infringentes publice arguere sustinuerit; quo facto, iam paene octogenarius, professoris titulo et honore exutus est [19]). Apparet, credo, theologis nostris, illa etiam temporum iniquitate, in tuenda optima causa nec defuisse audaciam nec constantiam. Quorum opera si cautum esse dixero, ne immodica clericorum dominatio ipsam humanitatis lucem exstingueret, non vereor ne nimium dixerim. Eadem autem via progressi sunt alii, COCCEII imprimis exemplum secuti. In quibus primarium locum obtinet HERM. WITSIUS, vir iudicii acumine et ingenii liberalitate non minus quam eruditione celeberrimus. Mox literarum Graecarum et Orientalium studia, critica ratione felicissime exculta, et Novi et Veteris Foederis interpretationi rectam viam monstrarunt, qua aperta fieri non poterat quin tota disciplina theologica sensim reformaretur. Novum hunc rerum ordinem inchoavit vir eximius ALBERTIUS, RUHNKENII familiaris, cum docendi munus auspicaretur habita oratione "de Theologiae et Critices connubio." Perfecerunt alii, quotquot artem hermeneuticam sua luce collustrarunt, HEMSTERHUSIO, RUHNKENIO, VALCKENARIO, cum SCHULTENSIORUM triumviratu facem praeferentibus. A quo inde tempore, mutata turbis civilibus patriae conditione, imminuta paulatim ecclesiae potestate, et libertatis conscientia magis magisque per omnes reipublicae partes manante, theologia etiam vinculis liberari coepta est, crevitque doctoribus animus ut de nulla non quaestione libere iudicarent; donec tandem post multorum labores ad hanc nostram aetatem perventum est, in qua, crescentibus in dies humanitatis studiis, sua arti criticae auctoritas ita est confirmata et stabilita, ut in nulla iam disciplina contemni aut negligi possit. Hac igitur duce, hac auspice, suam sibi libertatem theologia asseruit integram, non amplius ecclesiae mancipata, sed suo iure veritati indagandae ac propagandae unice intenta. Quae res quam sit humano generi benefica, nemo est prudentior qui non intelligat. Norunt omnes,

quid Academia Leidensis per haec quinque lustra in hac palaestra effecerit, quantumque sit in hisce theologis nostris libertati praesidium. Sed haec laudibus efferre non huius loci est. Indicasse sufficiat, olim quoque hic non defuisse eiusdem causae strenuos defensores, pro temporum ratione lento quidem gradu ulterius progressos, sed quorum tamen industria constantiaque praeparata est et fundata haec nostra felicitas, ut in rebus etiam divinis plena ac perfecta libertate utamur.

De republica administranda haud minus acres quam de religione controversiae in patria nostra agitatae sunt. Neque tamen inde, quamdiu pristina respublica stetit, libera docendi facultas in Academiis multum cepit detrimenti. Partium enim, de regiminis forma inter se contendentium, neutra libertati adversaria erat; favebat utraque, quamquam diverso modo. Itaque qui historias aut iurisprudentiam profitebantur, magna dicendi scribendique licentia usi sunt ac plerumque sic docuerunt ut in primaria Batavorum Academia decebat. Et historiae quidem doctores, in antiquitatis studiis assidue versati, Graecorum Romanorumque exemplis ac praeceptis sincero libertatis amore imbuti, eo ipso assecuti sunt illud "consilium et institutum," quod professoribus commendavit BURMANNUS Secundus, "ut docerent et narrarent illa, quibus liberae civitates, omni tyrannide sublata, recte possint administrari, et congruentem libertati disciplinam servarent et propagarent [30])." Non omnium nomina recensebo, sed tria tamen tacere nolo eorum, qui ipsius patriae historiam tradiderunt: PERIZONIUM, HEMSTERHUSIUM, VALCKENARIUM, quanta Academiae decora! PERIZONIUM, doctos etiam auditores in sui admirationem rapere solitum; HEMSTERHUSIUM, cuius disciplina, teste RUHNKENIO, "prudentiae civilis magistra et erat et habebatur"; VALCKENARIUM denique, qui qualis fuerit luculenter declaravit, cum in auspicanda professione historica "GUILIELMUM I, libertatis Belgicae vindicem," encomio celebraret. Ex talium igitur virorum institutione quin ipsa respublica uberrimos fructus tulerit, nemini dubium esse potest. Nec secus egerunt iurisprudentiae antecessores. Qui quamdiu toti fere erant in interpretando iure Romano, spiritus ipsi Romanos gerebant suoque exemplo discentium animos haud mediocriter erigebant: id quod tanto efficacius fuit, quo praestantiores in illo ordine docuerunt heroes, DONELLUS, VOETIUS, SCHULTINGIUS, alii. Novum autem et amplius

ICtis instructum est theatrum, ex quo, saeculo XVII ad finem vergente, de iure etiam publico et gentium et naturae lectiones institutae sunt. Quas disciplinas profitentibus NOODTIO, impigro libertatis patrono, tum VITRIARIO, WEISSIO, PESTELIO, in frequentissima auditorum corona, exterorum quoque et nobilissimorum, ex universa fere Europa confluentium, incredibile dictu est quantum ceperit emolumenti humanitatis causa, tot talibus discipulis a tantorum doctorum ore pendentibus, qui saluberrima praecepta mox per totam patriam et in cultiores quasque nationes longe lateque spargerent inque vitae publicae usum conferrent. Hi autem viri egregii, qua erant prudentia et moderatione, veram libertatem tuebantur, a licentia et petulantia diversissimam [21]). Eodemque animo erant KLUITIUS et LUZACIUS, uterque historiae interpres, hic WASHINGTONII et ADAMSII amicus, ille iuris publici Neerlandici reformator totiusque historiae nostrae critica ratione instaurandae propugnator omnium facile princeps. At secuta mox sunt tempora, quibus ipsa moderatio suspecta esse coepit. Cum enim in Francia, ubi turpi tyrannide libertas diu prostrata iacuerat, e violenta rerum conversione tanti furores exarsissent, quid mirum, nostros historicos et ICtos ab ista intemperantia abhorruisse? Sed abhorrebant a libidine, cui honestum libertatis nomen praetendebatur, non ab ipsa libertate. Hanc vero amabant, hanc longo usu sibi cognitam alacriter defendebant. "Iura humana" in Francia venditabantur, quasi recens reperta, nunc demum mortalibus salutem allatura. KLUITIUS docta scriptione demonstravit, ea iura in patria nostra non ficto nomine, sed ipsa re iamdudum integra viguisse [22]). At hominibus calidiora consilia agitantibus parum hoc erat. Vetera contemnebant novarum rerum cupidi. Odisse libertatem videbatur, qui aliter atque ipsi interpretaretur. Itaque, mutato reipublicae statu, rerum potiti, et KLUITIUM et LUZACIUM et PESTELIUM professorio loco moverunt, ne quid scilicet libertas caperet detrimenti! Usque adeo partium studia et irae animos occaecaverant, ut qui idem spectabant, at diversa via ac ratione procedendum esse censebant, pro inimicis atque infestis haberentur. Eandem autem iniuriam — ut erant tunc tempora — a contraria factione passus fuerat BAVIUS VOORDA, ante septennium munere exutus, cum iusiurandum sibi impositum dare recusaret. Nunc in Academiam redux masculam habuit orationem "de libertate sentiendi dicendique,

ICtis propria." Eamque libertatem KLUITIUS etiam et LUZACIUS, altero septennio exacto cum PESTELIO sene in integrum restituti, constanter sibi asseruerunt ad eum usque diem, quo uno fato ambo perierunt. Videtis, AA., quales bona causa hic habuerit defensores, quorum animus vel in rebus adversis non frangeretur. Sed graviora mox instabant pericula. Patria enim NAPOLEONTIS tyrannidi subiecta et in provinciae Francicae formam turpiter redacta, Academia autem Universitatis Parisiensis imperio oppressa, de tota docendi libertate actum videbatur. Nec vanus metus. Iubente domino suspicioso abrogata est iuris gentium et naturae et publici institutio. Cauto quidem consilio, namque eas disciplinas illo tempore tradebat KEMPERUS, indolis sincere Batavae verissimum exemplum, nec quemquam latebat, quo hic ardore iuventutem incenderet et, in illa etiam patriae ruina, animis confirmaret. At KEMPERI nomen, quantum in istis aerumnis solatium, quantum Academiae praesidium, quantum adiumentum BRUGMANSIO, illustri rerum nostrarum sospitatori! Nulla umquam aetas, mi KEMPERE, obliterabit memoriam patris tui, viri de Neerlandia optime meriti, "cuius in libertatem restituendae unus excellentissimus auctor et adsertor fuit [23])." Nec umquam nostrates capiet oblivio illius diei, quo hanc Musarum sedem, ab altero GUILIELMO I in pristinum honorem restitutam, solenni oratione inauguravit, publicae laetitiae disertissimus interpres. Eodem die simul auspicatus est legem de institutione academica, cuius scribendae ipse pars magna fuerat, prudentiae et liberalitatis insigne documentum. Exinde, hac lege vigente, nulla iam libertati obstiterunt impedimenta, vereque historici nostri et ICti, "quodcumque maxime probabile occurreret, id suo iure defenderunt." In quibus unum inter omnes eminentem cognovimus THORBECKIUM, aeternum et Academiae et patriae decus. Cuius viri disciplina quantopere libertati profuerit, omnes aut ipsi recordamur aut ab idoneis testibus accepimus. A docendi autem munere ad negotia publica transgressus, princeps fuit in condenda de imperio lege, libertatis civilis firmo ac stabili fundamento, eamque, ad reipublicae gubernacula vocatus, et eximie fructuosam reddidit et novarum legum salubritate auxit ac confirmavit. Sed nolo in viri desideratissimi imagine immorari. Vix tres menses sunt cum harum rerum memoriam grati celebravimus. Fato ereptum nobis THORBECKIUM luximus, sed magnum ex eo cepimus

solatium, quod non omnis mortuus est, multaque eius pars diu erit superstes in tot monumentis, quae exegit aere perenniora, inque tanto talium discipulorum numero, quales nunc patriae praesidio sunt et ornamento. Quorum complures in hisce collegarum subselliis praesentes conspicio, palladii nostri fidos custodes, antiquam Academiae dignitatem in posterum etiam vindicaturos.

Adumbravi vobis, AA., primis certe lineis designavi, quid professores Leidenses ad tuendam libertatem docendo scribendoque effecerint. Utinam ne rerum ubertati nimium derogaverit mea ad finem properantis oratio. Sed vel ex iis quae attuli coniicere licet, quantum bonae frugis in omnem humanitatem per trecentos annos redundaverit ex talium virorum disciplina, in tot studiosorum millibus. Ex quibus nullo non tempore prodierunt cives praestantissimi, clarissima patriae lumina, quorum opera in ecclesia, in foro et in curia, libertatem fortiter sustinuit et conservavit. Nec praetermittendum — nefas enim sit — fuisse in illo numero illustrissimos ex stirpe Nassavica Principes, quorum duodecim haec Academia spectavit alumnos. Eorum nec nomina nec studia commemorabo; novistis omnes quae accurate et concinne enarravit PEERLKAMPIUS. Sed de ipsa re si tacerem, causae ipse meae deessem. Quid enim? Putemusne in hisce optimae spei adolescentibus institutionem academicam nihil valuisse „ad eximiae indolis igniculos exemplo et doctrina suscitandos [24])?" Nihilne MAURITIUM aut FREDERICUM HENRICUM ex hac disciplina profecisse ad prudentiam civilem virtutesque in summo patriae discrimine spectatas? Aut GUILIELMUM III, immortalem libertatis Europaeae vindicem, ex illo „secessu Leidensi [25])" nihil traxisse quod iuveni stimulos adderet ut tantam sibi gloriam pararet? Sed quid plura? GUILIELMUS, princeps et auctor Arausiacae gentis, qua nulla umquam constantior fuit libertatis custos ac propugnatrix, Academiam a se conditam esse voluit libertatis praesidium. Academia, qua fuit semperque erit erga GUILIELMUM pietate, suae sibi nobilitatis conscia, in tutanda sanctissima causa officium praestitit — praestabitque.

Satis multa dixi de professoribus: ad vos redeundum est, lectissimi iuvenes, ad vestros patres, avos, proavos, quotquot huius Academiae alumni fuerunt. Ubi enim agitur de Alma Matre, libertatis conservatrice,

sua laude non defraudanda est optima iuventus, quae quanto patriae et libertatis amore arderet, rebus ipsis et factis haud semel declaravit. Nec in pace tantum et otio ea laus spectata est, sed in gravissimis etiam periculis, cum respublica de salute dimicaret. Quod olim LUD. CAPELLUS, cum Academiam inauguraret, auditores monuit, "eandem Pallada bellicam simul ac civilem, armorum et studiorum vigilem esse praesulem [26])", id posteris etiam non frustra dictum fuisse testantur illustria in annalibus nostris exempla. Nondum Academia primum saeculum absolverat, cum duo potentissimi reges in Neerlandiae perniciem conspirarent. LUDOVICUS XIV cum ingenti exercitu in harum regionum meditullium penetravit, iamque huic urbi ferro ignique minitabatur. Itaque cives valla munire, vigilias disponere, militiam obire, omnia parare ut vim cominus imminentem a moenibus arcerent Francisque contra starent, sicuti maiores adversus Hispanos steterant. Tum vero patriae non defuerunt adolescentes academici. Magno quippe numero magnaque alacritate ad urbem defendendam accincti, in praesidiariam cohortem descripti, duce CHRISTIANO MELDERO, Mathematices professore, quotidie arma exercuerunt, inque porta urbis, cui Albae nomen erat, et adiacentibus munimentis per integrum annum noctu diuque vigiles custodes excubias egerunt, parati, si GUILIELMUS iussisset, hostibus obviam ire et acie decertare. Quapropter, urbe tandem obsidionis metu liberata, a magistratibus ob rem praeclare gestam publice laudati et honoris praemio ornati sunt. Nec ab horum virtute et constantia degeneraverunt nepotes. Cuius rei ipsum hoc quod vivimus saeculum duplex spectavit exemplum. Cum enim NAPOLEON, Ilva relicta, novam nostratibus servitutem intentaret, huius Academiae alumni statim ad arma convolarunt, acceptoque de victoriis ad Quadrivium et Waterloam nuncio in Franciam missi, duce FREDERICO Principe, Regis filio, per tres fere menses in praesidiis ita steterunt, ut multa quotidie pericula multosque labores fortiter sustinerent. Iterum, quo tempore tristissimae cum Belgis discordiae in seditionem et bellum eruperant, studiosi nostri nulla mora interposita militiae nomina dantes novam formaverunt "Velitum Leidensium centuriam," quae cum diu in Belgii finibus sagata stetisset, Neerlandiae iura ac dignitatem pugnando etiam defendit, Lovaniumque victrix intravit, nunc armis, ut olim doctrina et ingenio, a Leida

superatam. Sed non enarrabo quae omnium ore celebrata sunt. Alii copiose narraverunt [37]), nec quisquam vestrum est, quin ab avo aut patre aut aliis testibus oculatis multa de hisce rebus audiverit. Et hos et illos Rex GUILIELMUS honorifico laudis testimonio decoravit, ut qui de patria bene meruissent. Nos temporis praeteriti memoriam recolentes iuvenum nostrorum gloria mira quadam dulcedine afficit. Non est quod miremur, adolescentibus Batavis, qui focos amare paternos a teneris didicerunt, in hac Academia, hac studiorum vitaeque ratione, hac doctrina hisque tantorum virorum exemplis, ingenitum libertatis amorem ita ali et augeri, ut ad tam praeclara facinora inflammentur. Est vero quod nobis gratulemur, coniuncta docentium discentiumque opera fuisse effectum, ne falsa fuerit maiorum spes, qui eo animo hanc Academiam hac in urbe condiderunt, ut patriae esset libertatis praesidium firmum et in saecula duraturum.

Causam peroravi, AA. Ne quid tamen ambitiosius aut invidiosius praedicasse videar, reticere nolim, quam huic Academiae laudem vindicavi, eiusdem ceteras quoque in patria nostra Academias fuisse participes. Namque et Franequerana et Groningana et Rheno-Traiectina et Gelro-Zutphanica, illustresque etiam Amstelodami et Daventriae scholae, de libertate optime meruerunt. In quibus omnibus ita spectata est germana Batavorum indoles, ut innatum tyrannidis odium libertatisque spiritum luculentis testimoniis declararent. Facile autem intelligitur, illas artium ac doctrinarum officinas in plerisque Academiae Leidensi haud multum fuisse dissimiles. Cum enim ad unam omnes eo tempore conditae sint, quo haec sua iam fama florebat, aliter fieri vix potuit quin ad huius normam et effigiem a principio conformarentur. Quo factum ut et iisdem institutis uterentur, et eadem fere ratione eodemque animo iuventutem erudirent. Suam igitur sibi laudem habent singulae. At habet hoc sibi proprium haec Academia Lugduno-Batava — idque ipsum novo et clarissimo argumento ostendit, quantum libertati praesidium fuerit —, quod, prima inter pares, non ipsa tantum rem strenue egit, sed ceteras etiam suo exemplo excitavit, ut iisdem patriam beneficiis ornarent, fidelique concordia carissimam omnibus causam tuerentur.

Agite igitur, cives, saecularia proxima laetis animis praeparate. Quod si libertate nihil est homine dignius, nihil ad omnem felicitatem vitaeque

suavitatem efficacius, nihil humanitati salubrius, pro hac Alma Matre, cui tanta ac talia debet et unusquisque nostrum et universa patria, par est ut optima vota propensissimis studiis nuncupemus. At ita dies festos agamus, ut quibus recta conscientia sit, quid a nobis postulet haec nostra libertas, a maioribus ferro et cruore parta, in hac literarum sede per tria saecula constanter custodita, nostra etiam opera in posterum vindicanda. Nobis non illae obstant difficultates, quae olim patribus obstabant, nec illa imminent pericula. Magnos bona causa fecit progressus. Ignorantiae nebulas paulatim dispulit clarior lux. Legibus utimur aequissimis, quarum praesidio suam quisque artem adeo libere profitemur, ut nihil possit supra. At in tantis hisce bonis ne indormiamus. Nondum evanuerunt libertatis adversarii. Nec fracta est eorum insolentia, qui rerum naturam suo modulo metiri soliti, veritatis vim sanamque rationem reformidantes, omnem sentiendi dicendique licentiam ita compescere conantur, ut ipsi animis et conscientiis imperitare possint, id Deo scilicet acceptum fore clamitantes. Hoc ipso quod vivimus tempore longe lateque serpit ea labes, cupidissimis partium studiis per Europam disseminata. Nostram quoque patriam invasit, nec paucorum mentes, rectae quae stare antehac solebant, dementes ad invia quaeque deflexit. Iactantur voces nimiam docendi libertatem in scholis publicis invidiose criminantium. In ipso Ordinum Generalium conventu, qui populi nostri iura custodiunt, iactantur querelae de hac Academia, eas doctrinas propagante, quibuscum nulla superstitio constare possit. Facile est contemnere ridiculas tenebrionum voculas, ab humanitatis incrementis nescio quid sibi metuentium. Nec multum solliciti sumus, quid isti moliantur. Haud dubia enim est libertatis victoria, novas certando vires acquirentis, in totoque terrarum orbe aliquando regnaturae. Sed vigilandum tamen, ne vel parumper nimium securi a vigilantibus occupemur. Quapropter omnes coniunctis animis et viribus idem agamus: sacrum pignus tueamur! Id nos agamus, aestimatissimi Curatores et Collegae, quibus prae ceteris ea cura mandata est. Id vos agite, generosi adolescentes, in quibus reposita est patriae spes. Olim praestantissimus historicus, sed rerum nostrarum minime fautor, FAMIANUS STRADA, maiores nostros, cum reprehendere vellet, eximie laudavit, utpote qui „in libertate propugnanda plus satis calescerent, huic posthabere omnia

gloriae ducerent" [28]). Quasi vero in causa una omnium optima plus satis calescere possemus! At vos, agite, idem laudis testimonium adversariis extorquete! Digni estote huius Academiae alumni! Namque sic semper vobis persuasum habetote, istum diem Neerlandiae fore fatalem, quo Academia Lugduno-Batava desierit esse libertatis praesidium. Sed absit omen! Prius ipsa esse desinet. Quamdiu vero vivet ac vigebit, ius suum vindicabit suumque praestabit officium. Spondet hoc patria virtus, spondet Academiae dignitas, spondet pia GUILIELMI Arausiaci memoria, in seram usque posteritatem magna cum religione colenda.

Quandoquidem, AA., ut liberi esse possimus, servire legibus debemus, postquam multa de libertate disserui, iam legi parebo, qua praescriptum est, ut, quae quoque anno Academiae aut prospera aut adversa evenerint, a Rectore decedente summatim commemorentur.

Vos, Amplissimi Curatores, valere et vigere, magna nobis est laetitia. Experti novimus, quid Vobis Academia debeat, cuius res hoc etiam anno magna cum diligentia procuravistis. Laudavi in oratione Curatorum collegium, a maioribus sapienter et liberaliter institutum, eximium rebus nostris adiumentum. Nec tantum laudavi veterum illorum temporum ratione habita, sed nostrae etiam aetati idem saluberrimum esse censeo. Multo enim melius Academiae prospicitur, ubi viri gravissimi, summis honoribus praeclare gestis spectatissimi, dedita opera hoc literarum patrocinio funguntur, quam si omnia regerentur a solo Regis Ministro, tot ac tanta diversissimae naturae negotia sustinente. Antiqua autem Academiae libertas et liberalitas multo certius illibatae conservabuntur, iis custodibus commissae, qui, cum IANI DOUSAE successores sint, numquam non persentient, sanctam patrum hereditatem sibi esse vindicandam. Itaque optima vota facio, ut, quidquid in legibus academicis mutetur, Vestrum collegium integrum integra potestate stabiliatur, utque Vos ipsi quam diutissime reipublicae literariae praesidio sitis et emolumento.

Te, Nobilissime GEVERS VAN ENDEGEEST, paucis compellare animus me iubet. Haud ita pridem Te salutavimus octogenarium, sed ita octogena-

rium, ut viridis ac vegeta Tua senectus multorum iuventuti praestare videatur. Te enim haec sedecim lustra nec animo aut corpore fecerunt infirmum, nec a rebus gerendis avocarunt. Tanta alacritate tantoque studio Academiae commodis invigilare pergis, ut nulla in re senectus appareat, nisi in consilii maturitate et prudentia et auctoritate. Quae cum magna sit et Tua et nostra felicitas, est profecto quod Tibi nobisque ipsis gratulemur. Valde autem optamus, ut dilecta Tibi Academia diu Te Curatore rerumque suarum patrono glorietur, Teque ad extremam usque aetatem recreet et sustentet illa „conscientia bene actae vitae, multorumque benefactorum recordatio," quam vere CICERO dixit senibus esse iucundissimam.

Ex professorum ordine unum mors rapuit, honesto iam otio fruentem, GERARDUM CONRADUM BERNARDUM SURINGAR. Cui viro egregio, de Academia praeclare merito, pium parentandi officium ita praestabo, ut confidam, si mihi desint vires, Vos tamen laudaturos esse voluntatem. Neque enim meum est medicinae professorem suo pretio aestimare, qui meo encomio non indiget, nec Vos a me exspectatis, ut defuncti imaginem ad vivum depingam, in recenti luctu adhuc animis Vestris ipsisque oculis inhaerentem. Alii vitam copiose narrabunt, merita in artem medicam accurate exponent, scripta docte recensebunt, SURINGARIUM denique ita laudabunt, ut ipso digna sit laudatio. Equidem paucis tantum optimi viri memoriam recolam, ne pietati defuisse videar.

Quod supra dicebam, in medicis nostris semper aliquid Hippocraticum habitavisse, id, si exemplis esset ostendendum, ipsius SURINGARII exemplo ostenderem. Erat enim genuinus illius scholae alumnus, quam, a BOERHAVIO conditam, longa medicorum series in Academia nostra eximie continuavit. Continuabant etiam M. S. DU PUI, SANDIFORTIUS, KRAUSSIUS, BERNARDUS, BRUGMANSIUS, quibus usus est praeceptoribus. Quorum auctoritate et monitis excitatus intimam iam adolescens cum HIPPOCRATE contraxit familiaritatem. Neque ea res, nostrae aetatis studiosis vix credibilis, illo tempore adeo erat infrequens, cum iuvenes medicinae destinati in lingua Graeca ita versati esse solerent, ut in HIPPOCRATE et GALENO minime hospites essent. SURINGARIUS autem in hisce studiis excellebat. Literarum amorem a patre, in hac Academia theologiae professore celeber-

rimo, puer imbiberat; tum studia, Lingae, loco natali, inchoata, in Gymnasio Leidensi, duce primum BAKIO, deinde BOSSIO, ita feliciter peregerat, ut iam decimo sexto aetatis anno ad lectiones academicas promoveretur. Qua occasione habita oratiuncula *„de veterum literarum studio futuris medicis utilissimo"*, palam fecit, quanti iam tum eam studiorum coniunctionem faceret, quae ipsi postea saluberrima fuit. In Academia rem strenue egit, botanicae, medicinae et chirurgiae magno ardore operam dedit, eaque se commendavit virtute, ut in certamine literario, semel honorificum laudis testimonium adeptus, bis victor palmam reportaret. Septennio exacto lauream doctoralem obtinuit, conscripta dissertatione *„de nisu formativo eiusque erroribus"*, qua et praeclara edidit eruditionis specimina et eam exseruit Latine scribendi facultatem, unde apparebat in severis medicinae studiis literarum amoenitatem non fuisse neglectam. Quid mirum, iuvenem iam ea floruisse existimatione, ut optima quaeque de eo augurarentur idonei iudices? Quo magis autem doctrinae copiam locupletaret, salutare peregrinandi consilium adhibuit. Regis GUILIELMI I, quem eximium fautorem habebat, liberalitate adiutus, Parisiis, Berolini, aliis locis, summorum virorum lectionibus interfuit. In patriam redux per triennium hac in urbe medicinam factitavit, ita tamen ut in quotidiana multarum rerum agitatione a discendi studio animum non remitteret, sed investigando, meditando, lucubrando, artem salutarem excolere pergeret. Quod quanto cum fructu fecerit, testes sunt duae commentationes, aureo praemio ornatae, quarum in altera de doctrina BROUSSASII docte disputavit, in altera de ordinandis tabulis statisticis, medicorum usui necessariis, accurate exposuit. Igitur haud vulgarem famam nactus mox ad altiora vocatus est. Anno enim 1830 in Illustri Amstelodamensium Athenaeo creatus est anatomiae, tum in Schola Clinica medicinae professor, eamque provinciam per tredecim annos ita sustinuit, ut et institutionis praestantia, et doctrinae ubertate, et experientiae laude, magnum Athenaei decus et esset et haberetur. Quam ob rem huius Academiae Curatores, cum anno 1843 MACQUELYNII cathedra vacaret, ordinariam medicinae practicae professionem SURINGARIO mandaverunt. Munus auspicatus est habita oratione *„de perficiendo pharmacologiae studio."* Ex illo tempore noster fuit, et quidquid sibi esset ingenii, scientiae, peritiae, id omne in Academiae

Leidensis usum convertit. Quam firmiter autem in ea studiorum ratione, quam a principio secutus fuerat, sibi constaret, luculenter ostendit, cum, magistratu academico feliciter gesto, publice verba faceret *„de naturae et literarum studio in re medica coniunctissimo"*. Academiae Rector itaque eandem causam defendebat, quam adolescentulus in Gymnasio defenderat. Et erant revera naturae ac literarum studia in SURINGARIO arctissime coniuncta, qui non tantum scriptores veteres per totam vitam in deliciis habuit, sed ex illa disciplina eam hauserat sanitatem, eam solertiam, prudentiam, scribendique elegantiam, ut vere HIPPOCRATEM aut BOERHAVIUM referre videretur. His dotibus cum accederet ingens eruditionis copia et indefessa industria, factum est ut in medicina et docenda et exercenda primarium locum occuparet. Qualis esset ad aegrotantium lectulos, quo observandi acumine, qua sagacitate, qua cautione et diligentia, quanta in medendi ratione simplicitate, quanta denique erga eos quos curabat patientia et humanitate, verissime expressit optimus testis, Cl. SIMON THOMAS, cum ad defuncti tumulum piae animae parentaret. Doctoris academici officio quomodo functus sit, testantur multi egregii discipuli, diuque testabuntur libri editi et scriptiones plurimae, in quibus varias disciplinae suae partes ita illustravit, ut in magna rerum abundantia ubique eluceat limatum iudicium cum sincero veritatis amore coniunctum. Ex historico autem medicinae studio, quo admodum delectabatur, praeclarum fructum cepimus, longam libellorum seriem, qua institutionis medicae in Academia nostra historiam per singula capita enarravit, ea quidem ubertate et cura, ut nullum esse possit utilius subsidium et adiumentum futuro ipsius Academiae historico, qui ut aliquando exoriatur vehementer optamus. Videtis, AA., quo animo erga Academiam, tot sibi nominibus carissimam, fuerit SURINGARIUS. Eiusdem voluntatis novum documentum dedit, cum eximiam speciminum pathologico-anatomicorum supellectilem, in usus privatos a se collectam, praeparatam et ordine dispositam, Academiae donaret, addito catalogo a se conscripto et typis expresso, quo splendido munere Museum Anatomicum insigniter auctum fuit. Hoc igitur animo hisque virtutibus Academiam per triginta annos ornavit. Nos senem tanta integritate, comitate, benevolentia, fide, diligebamus omnes, collegae, discipuli, cives. Otium, post longos labores aetatis causa ei concessum, diuturnum fore

et fortunatum sperabamus. Sed brevi tantum usus est. Lenta tabe absumtus e vita excessit, magnumque sui desiderium multis reliquit. Nomen et honos et laudes semper manebunt.

Dum lugemus defunctum, alius collegae vicem dolemus, viventis quidem, sed ita viventis, ut vix spes superesse videatur. Chemiae enim professor, Cl. VAN DER BOON MESCH, gravi morbo afflictus, muneris vacationem obtinuit, si forte otio et quiete valetudinem recuperare posset. Sed nihil otium et quies profuerunt. Malum in peius ruit magnaque amicos sollicitudine quotidie tenet suspensos. Nos collegam, aetate venerabilem, tanta corporis animique infirmitate laborantem, optimis votis prosequimur.

E docentium numero, quos omnes salvos esse gaudemus, unum tamen desideramus. Cl. EVERS enim, honesta missione impetrata, ultro munus deposuit, Hagamque rediit, ut totus esset in exercenda arte salutifera. Quae res, multis quidem Haganis acceptissima, nobis haud exiguam attulit iacturam. Amisimus enim collegam singulari artis medicae experientia praeditum, in obeundo munere impigerrimum, ea erga aegrotantes humanitate, erga discipulos benevolentia, erga amicos fidelitate, ut cum magno multorum dolore hinc discesserit. Absentis memoriam et alia revocabunt industriae monumenta, et illud Nosocomium Academicum, hoc ipso anno perfectum et a medicis nostris occupatum. In quo condendo quantae fuerint EVERSII partes, ita neminem latet, ut omnes uno ore testentur, eum vel hac sola re strenue gesta de Academia optime meruisse.

In locum amici nostri discessu vacantem Tu successisti, Cl. ROSENSTEIN. Adventum tuum Academiae impense gratulamur. Tu novo exemplo es, quam salutari consilio maiores hoc instituerint, in eligendis professoribus non intra angustos patriae fines subsistere, sed, dummodo optimus quisque invitetur, indigenas exterosque nullo discrimine habere. Tu enim Berolino in Academiam Groninganam vocatus hanc per septennium ita ornasti, ut appareret haud falsam de Te spem fuisse susceptam. Nunc nostro ordini adscriptum iam Te cognovimus eximium huic quoque Academiae decus futurum. Quantopere autem haec statio Leidensis Tibi sit grata et cara, luculento testimonio nuper declarasti, cum Amstelodamensibus Te allectantibus, pulcherrima quaeque pollicentibus, constanter restitisti. Omnium

verbis gratias Tibi egi privatim et nunc ago publice. Noster Tu factus es, moribus ipsoque sermone ita nostratibus assimilatus, ut unus de nobis esse videaris. Diu maneas noster, diuque experiaris quanti te omnes faciamus. Tuo ingenio Tuaque eruditione et insigni peritia multis annis fruatur Academia Lugduno-Batava, Tuumque nomen praestantissimis exterorum nominibus, qui hanc literarum sedem illustrarunt, aliquando annumeretur.

Nondum missos facio medicos. Namque Tibi, Cl. SIMON THOMAS, festum diem gratulor, quo licuit Tibi professorii muneris laudabiliter gesti quintum lustrum condere. Et iure quidem felicem Te praedico, quem Tua industria labore non intermisso votorum compotem fecerit. Te, cum in auspicanda docendi provincia "de artis obstetriciae institutione rite instauranda" docte disputares, optantem audivimus, ut "fines" Tuae "artis prolatare" Tibi contingeret, utque ex hac Academia "germani prodirent obstetricatores." Spem non fefellit eventus. Artis enim saluberrimae institutionem a Te ita esse instauratam, ut inde in ipsam disciplinam laetissimi fructus redundaverint, testantur omnes harum rerum periti, Teque illius diei memoriam recolentem salutabant haud pauci discipuli, quales Tu tibi sperare potuisses optimos. Omnium itaque applausu Rex Augustissimus, ut meritis Tuis dignus constaret honos, ordinis equestris Leonis Neerlandici insignibus Te decoravit. Macte virtute Tua, vir aestimatissime, diuque pergas Academiae ita prodesse, ut per viginti quinque annos egregie profuisti.

Eodem die, quo collega noster, Tu olim munus Tuum inchoasti, Cl. KRIEGER. Tibi vero non contigit extremum lustrum ita absolvere, ut grave illud chirurgiae et theoreticae et practicae onus ad metam usque sustineres. Improbo labori corporis vires non suffecerunt, ita quidem ut ante iustam aetatem e vita publica in privatam invitus Te receperis. Neque tamen ideo minore a nobis uteris existimatione. Fortem enim virum, qui ob vulnera adversa in proelio accepta militiae vacationem impetravit, pari laude dignum censemus atque illum, qui salvus et incolumis in bello perstet. Igitur Te iam otio cum dignitate fruentem ea prosequimur observantia, quae Tibi ob magna erga Academiam merita debetur. Laetamur autem valetudinem ita Tibi confirmatam, ut ex instante senectute, quam

placidam ac tranquillam Tibi exoptamus, aliquem etiam rei literariae fructum augurari liceat.

Tuus etiam in ordinem nostrum adventus in eundem annum incidit, carissime DE WAL. Triennium est ex quo nobis valedixisti, ut legum poenalium scribendarum arduo negotio praeesses. At nostri Te non cepit oblivio, neque nos Tui. Quo erga Te animo simus, nuper expertus es, cum Tibi necopinanti nostrae literae bene multae et chartae epistolares et telegraphemata supervenirent. Nobis enim non exciderat illius diei memoria, quo Tu hanc Academiam ornare coepisti. Grati recordabamur, quantum res nostrae per viginti duos annos a Te ceperint emolumenti. Quo si nunc suavissimo collega inviti caremus, ea nos solatur spes, fore ut mox codice isto poenali, pristinae servitutis tristissimo documento, aliquando liberati Tuis auspiciis nova lege donemur, quae, quo Te dignior, eo patriae erit utilior [29]).

Dulcissimo cum amicis laetandi officio multis iam functus sum, nec tamen perfunctus. Tibi quoque, optime DOZY, lubens gratulor, cui ex morbo, quo Te diutius languentem haud sine animi sollicitudine vidimus, ita convalescere contigit, ut novo ac tamquam iuvenili ardore ad studia, in quibus regnas, redire potueris. — Tibi, aestimatissime BIERENS DE HAAN, quem Regia Societas Scientiarum Hafniensis honorifico socii adscripticii titulo ornavit. — Tibi denique, amicissime VISSERING, qui, cum legis de imperio conditae memoria nuper celebraretur, ore facundo Academiae nostrae famam ita tuitus es, ut omnes consentirent, gravem illam publicae laetitiae testificandae provinciam nemini melius mandari potuisse quam Tibi, digno THORBECKII in professorio munere successori.

Novo Rectori nova mox erit gratulandi occasio. Vacanti enim chemiae cathedrae, quam a Cl. OUDEMANS, professore Delphensi, repudiatam dolemus, brevi prospectum iri confidimus. Curatores autem, qua sunt liberalitate, iustis multorum votis indulgentes, Regis Ministro auctores fuerunt, ut muneris latissime patentis officia duobus doctoribus committeret. Unde haud vana spe augurari posse videmur, disciplinam illam, nostra aetate tam laete florentem tantaque in omnes vitae partes utilitate commendatam, in hac quoque Academia eum dignitatis gradum esse occupaturam, quem iure sibi postulat per magnum BOERHAVII nomen.

Augeri professorum numerum cum magna semper nobis sit voluptas, Te etiam libenter et amice excepimus, Cl. TIELE. Nam, etsi Academiae non adscriptum, Te tamen habemus collegam aestimatissimum, quique Tua institutione nostris quoque adolescentibus eximie prodesse possis. Ego autem quo animi affectu Te collegam salutaverim, ipse optime intelliges, quem puerum iam habui discipulum unum in paucis dilectum. In nova hac vitae statione omnia Tibi prospere succedant. Remonstrantium Seminarium, olim EPISCOPII auspiciis conditum, cum Leida exsularet, nunc in ipsam Leidam translatum esse, Tibique, munus suscipienti, per Curatores licuisse hunc ipsum suggestum conscendere, en vero indicium — ut recte aiebas — quantum mutata sint tempora. Tu vero, carissime, ne muteris, sed libertatem nobiscum strenue vindicando, ita fac ut nobis reddas EPISCOPIUM.

Praeter professores alii etiam Academiam ornant viri eruditi, diversa munera obeuntes, quorum res nobis curae cordique sunt. Itaque dolemus obitum doctissimi E. M. BEIMA, in Historiae Naturalis Museo rerum mineralogicarum conservatoris, viri antiqua probitate et integritate spectati, magna doctrina et diligentia conspicui. Dolemus discessum doctissimi S. C. SNELLEN VAN VOLLENHOVEN, rerum naturalium scrutatoris expertissimi, de eodem Museo per multos annos egregie meriti. Quem utinam nobis referat ornatissimus C. RITZEMA, qui in eius locum successit. Alios autem nobis esse servatos et in rebus gerendis strenue pergere, admodum gaudemus. In quibus nominandus est vir peritissimus H. WITTE, Horti Botanici cultor, qui in expositione Vindobonensi ea edidit industriae specimina, ut ab Illustrissimo Austriae Imperatore insigne laudis praemium tulerit. Nos optimo viro eximium honorem, Tibique, Cl. SURINGAR, talem adiutorem gratulamur.

De instrumento et apparatu academico non exponam. Bibliothecam, musea, laboratoria, multis incrementis esse aucta, multorumque studiis insigni fuisse adiumento, vel me non monente novistis omnes. Plura scire cupientibus ipsi praefecti plene satisfacient. Unum tamen est, quod tacere non possum, Nosocomium Academicum. Meministis, AA., quae quotannis a Rectore iactari solerent querelae, eum quidem in modum, ut esset iam qui testaretur se istas recoquere nolle, „nihil enim nisi vota

superesse eaque sterilia" [30]). At tandem aliquando querelae obmutuerunt, votoque potiti sumus. Surrexit Nosocomium, Academia nostra dignissimum, amplum, splendidum, omni supellectile laute instructum et ad usum egregie accommodatum. Multos iam recepit aegrotantes, maiori frequentia affluentes in tanta rerum morbis curandis utilium copia et praestantia. Anni autem integri experientia ita iam spectatum est et comprobatum, ut vix quidquam supra sperari potuisse, una et consentiens sit medicorum vox. Itaque, qui iure nostro queri solebamus, eosdem nunc decet, iustum meritis honorem habentes, gratum animum testificari erga Regis Ministrum, et Curatores, et Magistratus Leidenses, et EVERSIUM nostrum, omnes porro, quorum consiliis et operae tanta res debetur. Unde ut disciplina Vestra uberrimos fructus capiat, Vos curabitis, collegae coniunctissimi, qui artem medicam profitemini.

Absoluto Nosocomio de aliis aedificiis multi sermones fuere. Hanc ipsam enim aedem, qua hodie contenti esse debemus, angustam, inopem, tristem, nec sartam nec tectam, Palladi Leidensi parum esse honestam, dudum inter omnes constitit. Constabat iam ante sexaginta annos, cum in lege academica scriberetur, novam aedem primo quoque tempore conditum iri. At legi non paruerunt qui legem tulerant. Petendo et iterum iterumque petendo nihil impetrabatur. Quidquid tentaretur, frustra fuit. Postremo res eo pervenit, ut vel ipsa spes praecisa videretur, postquam multis placere et oraculi instar esse coepit notissimum illud effatum, "artium ac disciplinarum curam ad rempublicam nihil pertinere"; cuius sententiae perversa interpretatio mirum quantum bonae causae nocuerit. Sed ex istis ineptiis tandem emersimus. Neerlandia nostra, antiqua bonarum artium fautrix, dignitatis suae conscientiam recepit. Itaque Vir Excellentissimus, qui patriae res domesticas procurat, ipse literarum amantissimus, in magna Ordinum Generalium concordia et liberalitate, legem pertulit, ut conderetur Minervae sacrarium, ea amplitudine et magnificentia, quae Academiam Lugduno-Batavam deceret, utque simul aedificaretur et Laboratorium Zootomicum, a multis diu desideratum, et novum Historiae Naturalis Museum, immensis illis thesauris apte disponendis accommodatum. Nos, tantorum beneficiorum spem nobis gratulantes, festo saeculari multum splendoris ominabamur. Mox accepimus, delineatam iam esse aedificiorum

descriptionem, brevique fore ut exstruenda locarentur. Vidimus iam vastum campum, qui tristissimae ruinae memoriam revocat, ab architectis occupatum, iustum spatium sepimentis vallatum, humum effossam, omnia fundamentis iaciendis parata. Quam vellem, AA., addere liceret, exsurgere iam parietes! Sed nihil dum surgit. Opus vix inchoatum repente haesit, nosque ipsi, quid de hisce rebus futurum sit, dubii haeremus. Ortae enim sunt quaedam dissensiones de aedificandi descriptione, non illae quidem eiusmodi, quae non dirimi facili negotio posse videantur, sed quae tamen spem nostram retardent. O utinam omnibus, qui aliqua sunt tanta in re agendi potestate, ob oculos sit praeclara maiorum sententia, „concordia res parvas crescere, discordia maximas dilabi". Nos, ubi agitur de communi et Academiae et patriae dignitate, nil desperamus „TEUCRO duce et auspice TEUCRO." Certa igitur spe fore confidimus, ut ductu auspicioque Ministri Regii, cui tanta promissa debemus, res nostrae ad felicem exitum perducantur, utque ex hac caligine et tenebris mox laetissimam lucem dispiciamus, qua „nos illustret sol iustitiae." Quod ut strenue efficias, Vir Excellentissime mihique amicissime, quem hic praesentem salutare magna mihi est huius diei suavitas, per trium saeculorum, quibus haec Academia floruit, carissimam memoriam oramus Te et obtestamur.

Iam ad Vos me converto, optimi iuvenes, qui Academiae tamquam vita et anima estis. Vos hoc anno acerba experientia monuit, quam sint in rebus humanis tristia laetis mixta. Nam Vestro quoque ordini, aetatis robore et vigore florenti, atra mors non pepercit. Octo egregios commilitones praematuro fato Vobis ereptos doletis. Quantus fuit omnium luctus, cum nunciaretur obitus NICOLAI FOCKEMA, eximiae spei adolescentis, praeceptoribus commendatissimi, nemini Vestrum non dilectissimi. „Multis ille bonis flebilis occidit," nulli flebilior quam matri, quae filium, delicias suas, in oculis gestabat. At multis etiam flebiles occiderunt ornatissimi C. I. BIEMOND, P. M. H. GOUMANS, A. W. I. BIJVOET, C. G. VORST, I. OOSTWOUD WIJDENES, A. I. SCHUURBEQUE BOEYE et A. VAN LEEUWEN, carissima parentibus, cognatis, amicis capita, quorum Vos piam memoriam magno cum desiderio diu servabitis. O incertam vitae spem! Quibus nominibus e Vestro nostroque numero anno proximo parentabitur? Sed mortis cogi-

tatio, saluberrima utique et utilissima, iuvenes aetate fervidos ab agendo retardare non debet. Agite igitur, totasque vires exserite, ut pulcro hoc studiosorum Leidensium nomine digni vivatis. Antiquam Academiae famam Vos quoque tuemini. Quamquam quid opus est hortatu, ubi adsunt rerum testimonia, quae voluntatem mentemque Vestram satis declarent? Mihi quidem morum honestate magistratum reddidistis iucundissimum. Ea Vos cognovi suavitate, ea erga praeceptores observantia, ea in literis assiduitate, ut qui Vos dudum amabam Vestraque consuetudine delectabar, novis veluti vinculis obstrictum Vobis me sentiam. Nuper etiam exemplo fuistis, quid valeat indoles generosa. Ortis enim dissidiis quibusdam inter commilitones Rheno-Traiectinos et Groninganos, Vos conciliando litemque amice componendo infensos animos placavistis, concordiam restituistis. Gratulor Vobis, de utraque Academia, nec minus de nostra, bene meritis. Tum multi Vestrum egregia exhibuerunt studiorum specimina, unde optima quaeque sperare licet. Haec nobis multo magis accepta sunt, quam numerum Vestrum hoc etiam anno adeo increvisse, ut totius tertii saeculi memoria numquam tantus fuerit. Numerum quidem non contemnimus, nec tamen Academiae salutem discipulorum multitudine, sed bonitate metimur. Hodie inchoatis annum unum in paucis memorabilem, in quo festum iubilaeum rite celebrandum praeparabitis. Iam elegistis quinqueviros pompae solenni de more Vestro ordinandae, iisque, praesidis honorarii titulo, praefecistis Augustissimi Regis filium, studiorum Vestrorum sodalem. Recte Vos quidem et sapienti consilio. Namque sic ostendistis plene a Vobis intelligi, quam intima sit Academiae nostrae cum illustri gente Nassavica coniunctio, quamque vere Regium nomen, quod alibi saepe fuit dominationis et tyrannidis indicium, in hac patria nostra documentum esse soleat libertatis. Itaque bonis animis pergite ut incepistis, et, quantum in Vobis est, solennia nostra ita curate, ut digna sint Academia Lugduno-Batava, non libertatis tantum, sed humanitatis etiam ac communis civium felicitatis praesidio.

Una res memoranda restat, sed magni illa momenti, Vosque, amicissimi iuvenes, novo ardore inflammatura. Optimam rem, ut facere solemus, in orationis exitum reservavi. Audite quid velim. Nuper, cum Briellae festus ille dies ageretur, Rex Illustrissimus, Academiae verbis a

me salutatus, in magna virorum honoratorum corona, humanissime mihi mandavit, ut collegis publice significarem, quanti faceret Academiam Leidensem, a GUILIELMO I conditam, genti suae pia semper necessitudine devinctam, cuiusque se ipsum olim fuisse alumnum gloriae sibi duceret. Quam singularem erga nos voluntatem, eximiis iam documentis spectatam, cum utrumque filium Almae Matri educandum committeret, nunc se novo testimonio velle declarare. Quapropter esse sibi in animo, ipso die saeculari Leidam venire, tantarumque rerum memoriam nobiscum celebrare. Ego Regis verba gratus accepi, laetum nuncium cum Senatu communicavi. Iam, cives, Vobis omnibus notum facio, ipsique Academiae insignem Regiam benevolentiam ex animi sententia gratulor.

Verene dixi, AA., in orationis exordio, faustis ominibus hunc annum inchoari? Itaque laeto et grato animo munere decedens fasces Tibi trado, Cl. HEYNSIUS, quem Regis decretum mihi successorem designavit. Salve, Rector Magnifice, iterumque salve! Tibi omnia sint fausta, felicia, fortunata! Tuis auspiciis Academia Lugduno-Batava — ita faxit Deus O. M. — vigeat, floreat, ac tertium saeculum feliciter absolvat!

ANNOTATIO.

[1]) Ipsa verba huic orationi pro symbolo inscripsi. Vide literas GUILIELMI ad Ordines Hollandiae, d. 28 Dec. a. 1574, apud KIST, *Bijdragen tot de vroegste geschiedenis enz. der Hoogeschool te Leiden*, p. 114—117. Eadem autem verba repetita leguntur in antiquissimis Academiae Statutis, d. 12 Febr. a. 1575. Vide KIST, l.l. p. 19.

[2]) Verba PEERLKAMPII in annot. ad Orat. Rector. a. 1839 (ed. in 4to), p. 65.

[3]) Ut scribit PEERLKAMPIUS, l.l. p. 27.

[4]) In Annalibus Acad. Rheno-Traiect., a. 1835—1836. Vide p. 10.

[5]) In epistola ad RITTERUM, d. 9 Sept. a. 1761. Ipsa verba plene sic audiunt: „Quid vero dicam de istis aulae mancipiis? Qui etsi belli calamitate ad satis humilem conditionem detrusi sunt, tamen non cessant tyrannica imperia in te exercere. O mi RITTERE, quantocius ab his fugias, et nobiscum auream Batavorum libertatem gustes. Nos hic omnes reges sumus, in quos nemo mortalium imperium habet. Legibus tantum aequissimis paremus." Vide RUHNKENII *Opuscula*, II, p. 868.

[6]) Vide SIEGENBEEK, *Geschiedenis der Leidsche Hoogeschool*, I, p. 33, KIST, *Bijdragen* (supra laud.), p. 38 sqq.

[7]) Vide et alios et R. VORSTMAN, *De Hoogeschool in Duitschland*, p. 135 sqq.

[8]) Quod argumentum tractavit Cl. COBET, cum a. 1846 professorium munus solenni oratione auspicaretur.

[9]) ERASMI *Colloquia et Encomium Moriae* (ed. stereot., Lipsiae, 1829), II, p. 366.

10) Salubre hoc dubitandi consilium iam ab ARMINIO discipulis commendatum fuisse, patet ex iis quae de eo conquestus est BOGERMANNUS, cui ea dubitatio minime placebat. „Quid est", ita scribit, „dubitationem studiosis iniicere de veritate realis satisfactionis I. CHRISTI? Quid est, studiosos hortari, ne mordicus adhaereant receptae doctrinae, sed omnia in utramque partem semper expendant, dubitent? Esse graves causas dubitandi de multis. Taceo, quod hisce diebus sim locutus studioso, qui D. ARMINIO familiaris et alias doctus fassus est, se auctore ARMINIO et SOCINO iudicare magnas esse rationes dubitandi de doctrina Trinitatis." Vide SEPP, *Het godgeleerd onderwijs in Nederland*, I, p. 109.

11) *De Oratore*, I, 55.

12) Vide MEURSII *Athen. Bat.*, p. 24 et 26.

13) *De Officiis*, III, 4.

14) „Omme in de selffde Schoole ende Universiteyt vrijelick ende openbaerlick de scientien der Godtheyt, in de Rechten, ende Medicinen, mitsgaders der Philosophien, ende alle andere vrye consten ... gecondicht, gelesen ende geleert te werden." Cf. diploma apud SIEGENBEEK, *Gesch.* II, *Toev. en Bijl.*, p. 296.

15) Vide ann. 10).

16) „Om de vrijheid der ... uitlegging der H. S. in de Leidsche Academie te doen plaats hebben." Quae verba ex epistola Curatorum, d. 16 Febr. a. 1612 ad EPISCOPIUM data, citavit SEPP, *Het godgeleerd onderwijs in Nederland*, I, p. 219.

17) Cf. KIST in *Archief voor Kerkelijke Gesch.*, IX, p. 475—492.

18) „COCCEIUS docuit et professus est Theologiam, quam vere *αὐτοδίδακτος* a nullo praeceptore hauserat, et locutus est ex eo, quo pruriebat, omnia novandi cacoëthe." Ita scripsit MARESIUS. Vide Opera COCCEII in Praef.

19) Rem optime narravit ipsisque documentis illustravit KOK in *Vaderl. Woordenb.*, in art. *Cocceius*, T. X, p. 339—346.

20) BURMANNUS Sec. in *Anal. Belg.*, in Dedicatione ad Reip. Amst. Consules, p. 10. Addit BURMANNUS, hoc ipsum „consilium et institutum" „olim in condenda Academia Leidensi sibi proposuisse" GUILIELMUM I, idque „diplomate perquam laudabili testatum fuisse". Unde BURMANNUS haec acceperit, frustra se quaesivisse scribit PEERLKAMPIUS in ann. ad Orat. laud. p. 30. Neque ego repperi.

21) De PESTELIO alii aliter iudicant. Sunt qui eum libertati minus favisse opinentur. Quorum tamen sententia mihi non probanda videtur. Sed multos in errorem induxit BILDERDYKIUS, cum PESTELII laudationem, anno 1809 a se conscriptam, postea vero plane immutatam, anno 1826 in lucem ederet. In hoc enim elogio PESTELIUM ita laudavit, ut magis suam ipsius, quam PESTELII, de iure publico sententiam exponeret. Vide quae scripsit KINKERUS apud DEN TEX et VAN HALL, *Bijdragen tot Regtsgeleerdheid en Wetgeving*, T. III (a. 1828), p. 177—208.

[22]) Cf. KLUITII liber anonymus, cui titulus: „*De rechten van den mensch in Vrankrijk, geen gewaande rechten in Nederland, of betoog, dat die rechten bij het volk van Nederland in volle kracht genoten worden; en iets over onze vrijheid en patriotismus. Door een Patriot.*" Amst. 1793.

[23]) Verba D. I. LENNEPII in Orat. Saecul. Ill. Athen. Amst. a 1832. Vide *Gedenkboek*, p. 67. Non meis verbis usus sum, sed alienis, ne virum affinitate mihi coniunctum ambitiosius praedicasse videar.

[24]) Ita scripsit B. VULCANIUS in responso Senatus Academici ad Principem GUILIELMUM, cum filium MAURITIUM studiorum causa Leidam misisset. Ipsa verba haec sunt (d. 22 Iulii a. 1582): „De nobis profecto Excell. Tua penitus sibi persuadeat, nihil nos, quod ad eximiae indolis, quae in filio Tuo omni ex parte elucet, igniculos exemplo et doctrina suscitandos, praetermissuros; omnemque nos operam ac studium ad eius dignitatem ac decus libentissime, pro eo ac debemus, et gnaviter collaturos." Vide PEERLKAMPII ann. ad Orat. laud. p. 39.

[25]) Quo nomine GUILIELMI III in Academia Leidensi commorationem appellavit PEERLKAMPIUS in Orat. laud. p. 12, secutus exemplum GRONOVII in epistola, quam edidit BURMANNUS in *Sylloge*, T. III, p. 471. Vide PEERLKAMPII ann. p. 69.

[26]) Vide LUD. CAPELLI Orationem Inauguralem Acad. Lugd. Bat., p. 5, in MEURSII *Athen. Bat.*

[27]) Cff. et alii multi et PEERLKAMPIUS in oratione auspicandis lectionibus, a. 1831, et SIEGENBEEK, *Vergelijkende beschouwing van 't geen door de kweekelingen der Leidsche Hoogeschool, in de jaren* 1672, 1815, *en* 1830 *en* 1831 *tot verdediging van het Vaderland verrigt is*" (Leiden, 1831).

[28]) STRADA, *De Bello Belgico*, I, p. 31 (ed. Antverp. a. 1649).

[29]) Praeter spem Cl. DE WAL orationi non interfuit. Itaque hanc salutationem non recitavi. Edo tamen quae scripseram, ut mei erga virum amicissimum animi publicum exstet documentum.

[30]) Cl. COBET in Orat. Rector. a. 1864.

SCRIPTA

VIRI CLAR. G. C. B. SURINGAR.

---

1. G. C. B. SURINGAR, Commentatio de foliorum plantarum ortu, situ, fabrica et functione, in Annal. Acad. L. B. 1819—1820.
2. ——————— Commentatio Medica, de modo, quo Natura versatur in restituendo omni quod in corpore humano solutum est, in Annal. Acad. L. B. 1822—1823.
3. ——————— Dissertatio Medica, de Nisu formativo eiusque erroribus, defensa a. d. 2 Iunii MDCCCXXIV. Lugd. Bat. 1824.
4. ——————— de Gallorum Chirurgia observationum sylloge. Lugd. Bat. 1827.
5. ——————— Bijdrage tot de kennis en de beoordeeling van het homoöpathische leerstelsel van SAMUEL HAHNEMANN, in Geneesk. Bijdragen van C. PRUYS V. D. HOEVEN, J. LOGGER enz. II D. bl. 136. Rotterdam 1828.
6. ——————— Korte beschrijving der Mazelen-epidemie, die sedert het begin der maand Maart in de stad Leyden geheerscht heeft, in dezelfde Bijdragen III D. bl. 92—138. Rotterdam 1830.
7. ——————— Geschied- en oordeelkundige Verhandeling over het leerstelsel van den Franschen geneesheer BROUSSAIS. Bekroond en uitgegeven door de Provinciale Commissie van Geneeskundig onderzoek en toevoorzigt in Noord-Holland. Amsterdam 1829.
8. ——————— B. EUSTACHIUS, Ontleedkundige Platen, met verklaring van A. BONN, met Voorberigt. Amsterdam 1830. F°.
9. ——————— Onderzoek naar de doelmatigste inrigting van Sterflijsten, ten dienste van de geneeskunde in het algemeen, en van de geneeskundige staatsregeling in het bijzonder. Bekroond en uitgegeven door de Provinc. Commissie enz. in Noord-Holland. Amsterdam 1831.

10. G. C. B. SURINGAR, Oratio inauguralis, De praeclaro, quod in sensibus integris et exercitatis est, praesidio ad Medicinam discendam, faciendam et perficiendam. Habita a. d. XV Martii MDCCCXXX, quum in Illustri Athenaeo Amstelodamensi Anatomiae, Physiologiae et Chirurgiae professionem solenniter auspicaretur. Amstel. 1830. item in Annal. Acad. L. B. 1829—1830.

11. ——————— Redevoering over het verband tusschen de geschiedenis der Geneeskunde en die der Beschaving. Uitgesproken d. 1 Junij 1831, ter aanvaarding van het Hoogleeraarsambt aan de Klinische School te Amsterdam. Amsterd. 1831.

12. ——————— Verhandeling over den Mensch, als den bewoner van de geheele aarde, en als den beheerscher van al het geschapene. Uitgesproken in het departement Natuurkunde van de Maatschappij Felix Meritis te Amsterdam, d. 22 Nov. 1831. in N. G. VAN KAMPEN's Hollandsch Magazijn van Letteren, Wetensch. en Kunsten. Amsterd. 1832. bl. 229—286.

13. ——————— Epitome Therapiae generalis, in usum discipulorum. Amstelod. 1834. Editio altera. Ibid. 1841.

14. ——————— Institutio de morbis acutis, sive Doctrina inflammationis et febrium. Amstel. 1835. Editio altera. Ibid. 1844.

15. ——————— Isagoge in doctrinam morborum chronicorum. 2 voll. Amstelod. 1837—38.

16. ——————— Merkwaardig geval van Tubercula cerebri (waargenomen in 1839 en beschreven met eene afbeelding) in Verhandelingen van het Genootschap ter bevordering der Genees- en Heelkunde te Amsterdam. Ie D. bl. 1—32. Amsterd. 1848.

17. ——————— Over de inwendige darmbeknelling door ineenschuiving of inkokering (waargenomen in 1840), in dezelfde Verhandelingen. Ibid. bl. 180—240.

18. ——————— (met C. B. TILANUS) Iets over de sterfte in de beide Gasthuizen en over de tegenwoordige inrigting van het Binnen-Gasthuis te Amsterdam. In Archief voor Geneeskunde Ie D. Amsterd. 1841.

19. ——————— Oratio de perficiendo Pharmacologiae studio, qua munus Professoris in Facultate Medica auspicatus est a. d. 17 Iunii 1843. Lugd. Bat. 1843.

20. ——————— In obitu IACOBI CORNELII BROERS. Lugd. Bat. 1847.

21. ——————— Memoria GERARDI SANDIFORT. Lugd. Bat. et Amstel. 1848.

22. ——————— Oratio de Naturae et Literarum studio in Re Medica coniunctissimo, habita a. d. VIII Febr. a. MDCCCL, quum magistratum Academicum solemni ritu deponeret. Lugd. Bat. et Amstel. 1850. item in Annal. Acad. L. B. 1849—1850.

23. G. C. B. SURINGAR, (met MESS en FRENAY) Rapport over de beste methode van onderzoek omtrent de werking der Geneesmiddelen, in Tijdschrift der Nederl. Maatschappij ter bevordering der Geneeskunst, 3e Jaarg. Arnhem 1852. bl. 137—178.

24. ——————— De kunst om wel te sterven, in Bibliotheek voor het Huisgezin. Ie D. Leeuwarden 1856.

25. ——————— De opvoeding der Zintuigen. Eene bijdrage tot de leer van het onderwijs, inzonderheid van de Natuur- en Geneeskundige wetenschappen. Amsterd. 1855.

26. ——————— Bijdragen tot de Geschiedenis van het Geneeskundig Onderwijs aan de Leidsche Hoogeschool (van de stichting der Universiteit in 1575 tot aan den dood van BOERHAAVE, 1738). Twaalf Opstellen, gedrukt in het Nederlandsch Tijdschrift voor Geneeskunde. Jaargang 1860—1866.

Deze opstellen verschenen onder de volgende afzonderlijke titels:

I. De twee eerste hoogleeraren in de Geneeskunde te Leiden.

II. De Medische Faculteit te Leiden, in het begin der zeventiende eeuw.

III. Over de beoefening der voorbereidende en hulpwetenschappen bij de medische studie aan de Leidsche Hoogeschool, gedurende de eerste halve eeuw van haar bestaan, inzonderheid over den aanvang en de eerste lotgevallen van het botanische onderwijs.

IV. De vroegste geschiedenis van het ontleedkundig onderwijs te Leiden.

V. Stichting der school voor klinisch onderwijs te Leiden, onder HEURNIUS en SCHREVELIUS, in het jaar 1637. Toestand der overige medische studievakken, omstreeks het midden der zeventiende eeuw.

VI. Het geneeskundig onderwijs van ALBERT KIJPER en JOHANNES ANTONIDES VAN DER LINDEN. De ontleedkundige school van JOHANNES VAN HORNE.

VII. Chemiatrische school van SYLVIUS. De verdiensten van dien hoogleeraar als ontleedkundige, en zijn praktisch-geneeskundig onderwijs in het Akademisch Ziekenhuis te Leiden (1658—1672).

VIII. Invloed der Cartesiaansche wijsbegeerte op het natuur- en geneeskundig onderwijs aan de Leidsche Hoogeschool.

IX. De Medische Faculteit te Leiden op het einde der zeventiende en in het begin der achttiende eeuw. LUCAS SCHACHT en diens ambtgenooten. Anatomisch onderwijs van DRELINCOURT, NUCK en BIDLOO.

X. De Leidsche hoogleeraren in de natuurkundige wetenschappen, inzonderheid in de kruid- en scheikunde, na den dood van SYLVIUS en vóór BOERHAAVE's benoeming tot Professor Chemiae (1672—1718).

XI. De Leidsche Geneeskundige Faculteit in het begin der achttiende eeuw. BOERHAAVE en zijne ambtgenooten.

XII. Het theoretisch-geneeskundig onderwijs van BOERHAAVE. De klinische lessen door hem en zijn ambtgenoot HERMAN OOSTERDIJK SCHACHT gegeven.

In de volgende jaargangen van datzelfde Tijdschrift (1866—1870) verschenen nog zes opstellen, tot hetzelfde onderwerp behoorende, onder deze titels:

I. Verval van het klinisch onderwijs na den dood van BOERHAAVE. ADRIAAN VAN ROIJEN als hoogleeraar in de Kruid- en Geneeskunde. Waardering van het Dynamische element in de theoretische leer van GAUBIUS en FREDRIK WINTER. PIETER VAN MUSSCHENBROEK, als hoogleeraar in de Physica.

II. De School van BERNHARD SIEGFRIED ALBINUS.

III. Het bijeenbrengen eener verzameling van natuurlijke voorwerpen voor het Akademisch onderwijs, omstreeks het midden der achttiende eeuw. Eerste afzonderlijke lessen over de Natuurlijke Historie, door den hoogleeraar ALLAMAND, en over de Zoölogie door LE FRANCQ VAN BERKHEY.

van de aardkorst, noch voor eene ontwikkelingsgeschiedenis der fossiele Flora en Fauna. Geologie of paleontologie zonder chronologie is gelijk aan genealogie zonder tijdsorde, gelijk aan geschiedenis, zonder dat er op de volgorde in den tijd is gelet. Het chronologisch schema is het skelet der geschiedenis, en eene geschiedenis, waaruit men het chronologisch element heeft weggenomen, is gelijk aan een menschelijk lichaam, waaruit men het skelet heeft verwijderd. Dit geldt in de hoogste mate van eene ontwikkelingsgeschiedenis. De geologen en paleontologen begrijpen dit zeer goed en juichen daarom zeer, als zij hunne volgreeksen en genealogiën door de chronologie gedekt zien. Juist omdat de chronologische volgorde der lagere en hoogere vormen van het fossiele planten- en dierenrijk en der aardlagen al meer en meer zekerheid heeft verkregen, durven nu theoriën als de ontwikkelingsleer in het algemeen en als de afstammingsleer in het bijzonder daarop voortbouwen. Indien er van zekerheid in de geologie spraak kan zijn, het is allereerst, omdat men gezorgd of getracht heeft, op een goeden voet met de chronologie te blijven, en de spreekwijze „zoo zeker als de uitkomsten der geologie" is dááruit te verklaren en dááraan te danken. Als de Hoogl. Tiele in zijn „Godsdienst van Zarathustra" eene beknopte schets geeft van de godsvereering der oude Aryers, zegt hij daartoe in staat gesteld te zijn door de onderzoekingen, vooral in de laatste jaren op het gebied der vergelijkende taalstudie en godsdienstgeschiedenis gedaan. „De vruchten van dat onderzoek," zoo gaat hij voort, „zijn even zeker, als de uitkomsten der geologie." Handelt hij elders over de aangewezen methode, om ons van den oorspronkelijken arischen godsdienst een vrij bevredigend denkbeeld te vormen, hij verklaart, dat wij van hare zuivere toepassing zekere uitkomsten mogen verwachten, en door haar in staat gesteld worden, om van dat vóór-historisch tijdperk een even duidelijk beeld te schetsen, als de paleontologie geeft van háre vóór-wereldlijke perioden. Maar zouden die uitkomsten, vragen wij, zoo zeker zijn geweest, en zou dat beeld zoo duidelijk hebben kunnen zijn, indien men de geologische en paleontologische onderzoekingen had ingesteld, zonder op de tijdsorde te letten?

Onze slotsom is, dat de Geschiedenis der godsdiensten zich nog niet als godsdienstgeschiedenis, of ontwikkelingsgeschiedenis van den godsdienst,

laat behandelen. Tracht men alle godsdiensten onder het net van de toepassing der ontwikkelingstheorie bijeen te brengen, zij onttrekken zich daaraan of doen de mazen breken en verijdelen het ijverigst pogen. Dat men de onderscheidene godsdiensten naar een bepaalden maatstaf, naar een of ander begrip, naar zekere graden van ontwikkeling rangschikt, verdient alleszins toejuiching. Maar men zie dan niet voorbij, dat de stadiën of perioden van ontwikkeling, van welke men spreekt, geen chronologische perioden, geen stadiën van een chronologischen weg zijn; dat de uitkomsten, welke men verkrijgt, niets hebben uittestaan met hetgeen de ontwikkelingstheorie bedoelt. Wil men de ontwikkelingstheorie op de Geschiedenis der godsdiensten toepassen, ten einde eene ontwikkelingsgeschiedenis te verkrijgen, dan moeten de chronologische genealogie der godsdiensten en hunne naar het beginsel van ontwikkeling vasttestellen opvólgingsorde met elkander in overeenstemming gebracht kunnen worden. Blijkt dit onmogelijk te zijn, dan is de toepassing van die theorie op die geschiedenis niet aantebevelen, en moet men erkennen, dat, hoeveel vooruitgang ook op het gebied van die geschiedenis moge aantewijzen zijn en hoeveel godsdienstige ontwikkeling op dat gebied ook moge waartenemen zijn, het zich toch niet leent tot de stelling; dat de hoogere godsdiensten zich uit de lagere, en hoogere en lagere te zamen zich uit één allerlaagsten en ruwsten, eersten of oudsten, godsdienst als spruiten uit één stam hebben ontwikkeld.

Laat ons het onderscheid in het oog blijven houden tusschen eene beschrijving van de Geschiedenis der godsdiensten, elk op zich zelf en zoo veel mogelijk in verband met elkander beschouwd, met inachtneming van de tijdsorde, en eene rangschikking van de onderscheidene godsdiensten volgens den trap van ontwikkeling, waarop zij staan. Eerst het eerste, daarna het tweede. Bij het eerste zou de vraag moeten beantwoord worden, of er plaats is voor toepassing van de ontwikkelingstheorie. Bij het tweede hebben wij in geen geval iets met die theorie te maken, maar de godsdiensten hooger of lager te plaatsen naar de graden van den door ons vervaardigden godsdienstmeter.

De beschrijving van de Geschiedenis der godsdiensten, waarmede wij

ons thans blijven bezig houden, kan men de beschrijving van het godsdienstig leven der volken, of de religieuse volkerenbiografie noemen, gelijk de beschrijving van den godsdienst van een volk de beschrijving van zijn godsdienstig leven heeten kan. Is nu ons natuurlijk leven niet iets abstrakts, maar onafscheidelijk van ons zelven en afhankelijk van allerlei voorwaarden, waaraan ook wijzelven onderworpen zijn, hetzelfde is het geval ook met het godsdienstig leven eens volks of met zijn godsdienst, en met het godsdienstig leven der volken, dat wij door de geschiedenis der godsdiensten leeren kennen. Deze geschiedenis moet niet als de geschiedenis van den godsdienst in de menschheid, of van het godsdienstig leven der menschheid behandeld worden, maar, met volkomen erkenning van het recht der individualiteit en der persoonlijkheid, als de geschiedenis van de godsdiensten der onderscheidene volken, die hier niet passief zijn, gelijk automaten, terwijl de godsdienst actief is, maar die zelven actief zijn. Het moet niet altijd en onophoudelijk zijn: de godsdienst „ontwikkelt zich" en de godsdienst „heeft zich ontwikkeld," alsof niet menschen met hunne individualiteit en persoonlijkheid er bij op den voorgrond stonden en er een werkzaam aandeel in namen. Wij moeten toezien, dat wij niet verzeilen op de klip van het Automatisme.

Elk volk moet met zijn godsdienst of met zijne godsdiensten beschreven worden, en elke godsdienst moet in verband gebracht worden met de individualiteit van het volk, waaronder hij zijne belijders vond en zooveel mogelijk daaruit ook worden verklaard; in verband met den tijd, waarin zijne geschiedenis valt; in verband met den geheelen historischen dampkring, waarin die godsdienst ontstaan en verder ontwikkeld, gewijzigd of verbasterd is. Aan dezen eisch heeft de Hoogl. Tiele ook zelf recht laten wedervaren bij zijne behandeling van den Zarathustrischen, oud-Egyptischen, babylonisch-assyrischen godsdienst. De Chronologie moet daarbij de leiddraad blijven, gelijk bij de geologie de chronologische orde der terreinen. Maar verbergen wij niet voor elkander, dat de Geschiedenis der godsdiensten bij eene afzonderlijke behandeling toch eigenlijk in een abnormalen toestand verkeert. Want zij is niet iets afgezonderds, zij is een gedeelte der wereldgeschiedenis. Nu kan zij wel afzonderlijk behandeld worden, even als de geschiedenis der kunst, der bescha-

ving, der wetenschappen, der uitvindingen en wat zich verder laat noemen. Maar zij mag toch niet geïsoleerd worden van de omgeving, waarin zij heeft geleefd. Zij heeft deelgenomen aan den levensloop der wereldgeschiedenis en er zelve invloed op uitgeoefend. Volkomen recht zou men haar dus alleen dán kunnen laten wedervaren, als men haar in en met de wereldgeschiedenis zelve kon behandelen. Want dan eerst kunnen wij de godsdiensten der onderscheidene stammen en volken reeds bij hunne geboorte bespieden en verder nagaan in de atmosfeer, waarin zij ademen, onder al de invloeden, waaraan zij bloot staan, tot welke invloeden vooral ook die godsdiensten moeten gerekend worden, die in hetzelfde land, onder hetzelfde volk, in den kring van hetzelfde ras hunne belijders vinden of vroeger gevonden hebben. Dan valt eerst goed in het oog, hoe de godsdiensten in de wereldgeschiedenis elkander hebben ontmoet en wederkeerig invloed op elkander hebben uitgeoefend. Het bont gewoel op dat groote plein, dat wij het gebied der wereldgeschiedenis noemen, wordt dan eerst recht zichtbaar. Daar ligt Klein-Azië voor u, of Perzië, en welk een door elkander gaan en woelen of elkander opvolgen van oorspronkelijk niet verwante godsdiensten ontwaren uwe oogen! Welk een verdrongen worden van den eenen godsdienst door den anderen én elders, én hier in Europa, zonder dat de verdrongene altijd verhinderd wordt, zijnen invloed nog zeer lang na zijn ondergang te laten gevoelen. Welk eene merkwaardige scheiding en verwijdering zien wij door sommige godsdiensten in het groote familieleven der rassen en volken gemaakt! China en Japan ruimen naast den oorspronkelijken volksgodsdienst plaats in, het eerste aan het Boeddhisme, het laatste aan Kong-tse's godsdienst en Çakya Moeni's leer. Waar de Veda als Heilige Schrift vereerd wordt, is de godsdienst van het Zend-Avesta buitengesloten, en waar het Zend-Avesta als de Heilige Schrift wordt vereerd, is de godsdienst van den Veda geschuwd. De drie voornaamste takken van den Oeralo-altaïschen stam kiezen zeer verschillende wegen, daar de Mongolen den Boeddha volgen, de Tataren den Islam aannemen, de Finnen Christenen worden. De oostersche Slaven voegen zich bij de Grieksche, de westersche Slaven bij de Roomsche Kerk. Het Protestantisme treedt op en brengt in het Noord-westen van Europa scheuring in den boezem der

bevolkingen te weeg. Dergelijke diep ingrijpende verschijnselen op het gebied van de Geschiedenis der godsdiensten treden bij eene afzonderlijke behandeling van die geschiedenis geheel op den achtergrond. Kunnen wij derhalve aan de Geschiedenis der godsdiensten alleen dan recht laten wedervaren, wanneer wij haar laten in haar geheel, dat is in het organisme, waarin zij ingeweven is, wij moeten hare afzonderlijke behandeling in zekeren zin een noodzakelijk kwaad noemen, noodig, omdat verdeeling van den arbeid noodig is, ook omdat hij, die de Geschiedenis in hare bijzondere deelen wil leeren kennen, ze bij gedeelten onder den mikroskoop van het historisch onderzoek moet brengen. Maar gelijk de natuurkundige bij het mikroskopisch onderzoek van een of ander lid of gedeelte niet vergeet, dat hij slechts een afzonderlijk lid of gedeelte in het oog heeft, en na zijn mikroskopisch onderzoek weder terugkeert tot het geheel, waartoe het behoort, zoo dan ook de geschiedvorscher met betrekking tot de Geschiedenis der godsdiensten. Terug naar de Wereldgeschiedenis! Ook op grond hiervan moeten wij tegen eene geïsoleerde toepassing van de ontwikkelingstheorie op de Geschiedenis der godsdiensten bedenking inbrengen. Nadert men haar met die theorie, zij trekt zich in de wereldgeschiedenis terug, omdat zij daarin deel genomen heeft aan al die ontwikkelingen en transformaties, aan al die schommelingen en golvingen en wendingen, waaruit, onder Gods leiding, die wereldhistorische resultante voortkomt, die men kan noemen: de vooruitgang in de geschiedenis der menschheid.

Een laatste woord, om te gemoet te komen aan eene laatste bedenking. Zoo zal dan de Geschiedenis der godsdiensten, met dat al, niet ongelijk zijn aan hetgeen de kinderwereld somtijds op eigenaardige wijze te zien geeft in de minder benijdenswaardige rol van spelbreker? Overal elders ontwikkeling, overal bewijzen bij handvollen, dat de ontwikkelingstheorie de baanbreekster is voor nieuwe ontwikkeling door de heerlijkste resultaten van hare toepassing! Maar alleen in de geschiedenis der godsdiensten geen ontwikkeling, en die theorie op haar niet van toepassing? Hoe belemmerend, hinderend, storend treedt dan toch die geschiedenis de heerschappij en zegepraal van die heerlijke theorie in den weg!

Ons antwoord is eene bescheiden vraag. Overal elders ontwikkeling en derhalve nergens elders een „non liquet"? Zeker is derhalve reeds uitgemaakt, dat het menschelijk bewustzijn zich ontwikkelt uit de beweging van zekere dáártoe aangewezen atomen; uitgemaakt ook, dat des menschen redelijke vermogens zich in de eerste nog onvolkomen exemplaren van het wordend menschengeslacht ontwikkeld hebben door zijne gearticuleerde spraak, zoodat hij al sprekende tot het menschelijke denken is gekomen; uitgemaakt zonder twijfel, dat het levende zich eens uit het levenlooze, de eerste organismen zich eens uit anorganische stof hebben ontwikkeld; uitgemaakt alzoo, dat alle vraagteekens op die punten kunnen veranderd worden in uitroepteekens, om ze te plaatsen achter een triumfantelijk uitgesproken *εὕρηκα?*

Maar genoeg. Wáár ook tot heden de ontwikkeling nog niet aanwijsbaar moge zijn, zonder twijfel is zij aantewijzen in de geschiedenis der ontwikkelingshypothese zelve. Wordt na twee of drie eeuwen de geschiedenis der ontwikkelingstheorie beschreven, er zal wel over haren invloed op de ontwikkeling van den wetenschappelijken geest der menschheid en op de grondiger beoefening van vele wetenschappen niet weinig tot haar lof zijn te zeggen. Dan zonder twijfel ook dit, dat de wakkerste voorstanders van de toepassing dier theorie op de Geschiedenis der godsdiensten krachtig hebben medegewerkt tot een vernieuwd en onpartijdig onderzoek naar die geschiedenis, en, mede door de tegenspraak, die zij hebben uitgelokt en welwillend hebben opgenomen, niet weinig hebben bijgedragen, om voor de grondiger beoefening van de Geschiedenis der godsdiensten eene nieuwe, hoogst vruchtbare periode te doen aanbreken, die als leuze in hare banier voerde: Onbevooroordeeld voorwaarts!

Narrationem eorum, quae aut laeta aut tristia hoc anno Academiae nostrae evenerunt, brevem esse nihil vetat. Fuerunt adversa, fuerunt quam plurima prospera, quae tamen paucis verbis in memoriam vobis revocare licebit.

Grato agnoscimus animo, Academiae Curatores, viros amplissimos, quos superstites, valentes, vigentes esse laetamur, vere Academiae Conservatores denuo se praestitisse, omni qua potuerunt animi intentione Almae Matris commodis prospicientes atque consulentes. Omni in Academiae salutem cogitatione curaque eos incumbere novimus omnes, quum testimonia undique oculis incurrant et documenta praesto esse videamus.

In Professorum ordine lugentes desideramus virum clarissimum Martinum Hoek, per quatuordecim annos Astronomiae in hac Academia Professorem. — Superioris anni die tertio mensis Septembris in urbe natali fato functus est. Natus Hagae Comitum die tertio decimo mensis Decembris anni huius saeculi tricesimi quarti, puer iam, Copernici vita delectatus, adolescentem praemonstravit; magnae spei adolescens iuvenem praenuntiavit acutum; iuvenis singularem praesignificavit virum. Ingenii mentisque dotibus excellens discipulus carus erat praeceptoribus, commilito amicis, qui cuncti magna ab eo exspectabant. Nec spem fefellit Martinus. Anno huius saeculi quinquagesimo secundo Academiae Lugduno-Batavae civibus adscriptus, Medicinae studiis se destinavit, filius optimi patris, in civitate Hagana chirurgiam facientis. Absolutis autem studiis propaedeuticis Astronomiae maluit operam navare, cui disciplinae continuo totum se dedit, celeberrimo duce Kaisero, quem fato functum etiamnunc Leidensis Academia luget. Accuratam et certam rerum indagationem amanti, praeter caeteras disciplinas Astronomia Martino placuit. In coelum stellatum igitur oculos mentemque vertebat, ex imo pectore, ut adolescentis iam mos fuerat, odio habens inanem vulgi gloriam, et mediocria existimans ea quae magni facere plurimi solent. Coelum stelliferum eum tenebat. Planetarum, solis, stellarum fixarum et crinitarum cursum motumque nexumque intelligere et scrutari cupiebat. Non gratum igitur ei accidere non potuit munus Observatoris Astronomici, in Academia Leidensi, anno quinquagesimo sexto ipsi oblatum; ad quod munus tuendum vocatus est, ut Doctissimo Iohanni Abrahamo Christiano Oudemans, in Academiam Rheno-Traiectinam profecto, succederet. Totus continuo observando in specula Leidensi se dedit, usque ad annum quinquagesimum nonum, quo, Astronomiam docendi causa in Academia Rheno-Traiectina Professor extra ordinem creatus, denuo clarissimo Oudemans successor datus est. Multorum interea laudem sibi

comparaverat Observator Leidensis Dissertatione, ad summos consequendos in Mathesi et Philosophia Naturali honores conscripta atque defensa, qua grave tractavit argumentum "de Cometis annorum millesimi quingentesimi quinquagesimi sexti, millesimi ducentesimi sexagesimi quarti et nongentesimi septuagesimi quinti, eorumque nondum satis probata identitate." Ex Hoekii sententia, quam dilucide et accurate exposuit, cometes, Caroli quinti nomine nuncupatus, minime idem habendus erat atque ii, qui saeculi decimi tertii anno sexagesimo quarto et seculi decimi anno septuagesimo quinto conspiciendos se praebuerant. Contrariam sententiam alii tuebantur. Anno igitur huius saeculi quinquagesimo septimo magna Astronomiae peritorum erat exspectatio. Apparebitne cometes? Res anceps. Et coelum contemplantur Astronomi, vespertini nocturnique vigilantes. Eventus, ut notum est, Hoekii aliorumque firmavit sententiam, ipsique locum suum inter nostri temporis Astronomos assignavit. Clarissimi igitur Oudemans successor die vicesimo quarto mensis Iunii, anni quinquagesimi noni, professionem in nostra Academia auspicatus est, sollenni patrio sermone habita oratione, cuius argumentum significavit verbis: de renatis Astronomiae studiis sub finem medii aevi. Mox nova studiorum specimina edidit. Proserpinae cursum pervestigavit. Cometarum cum stellis fixis et meteoris nexum exploravit. De luminis aberratione egregie scripsit. Quae tamen longius recensere aut diiudicare non meum est. Feliciter rem suam egit, ita quidem, ut de cometis in posterum nemini disserere liceat, nisi Hoekii merita celebranti, Proserpinam autem dicere ac Martinum Hoek, Astronomum Traiectinum cogitare, plane idem sit habendum. Quae non mea est sententia, verum Astronomorum, ut nos docent ea, quae in Hoekii memoriam egregie scripsit clarissimus Buys Ballot, aequus harum rerum atque idoneus iudex. Hic defuncti collegae, Professoris ordinarii creati mense Iunio anni sexagesimi septimi, vitam ita adumbravit, eiusque imaginem ex vero expressam ita delineavit, ut quae priva et propria habuit Hoekius ea sedulo in eius vitae narratione coniuncta et memorata reperias. Gratus autem me animus iubet hoc unum addere, quod Hoekius, me primum Rectore, Senatus acta curavit, mihique Rectori, quoties res postulabat, fidus praesto fuit. Caeterum huius generis munera defuncti collegae ingenio minus placuisse omnes novimus, nec quemquam ignorare

ipse unquam voluit. Quid autem plura? Lugémus clarissimum virum, egregie de disciplina astronomica meritum, nec tantum de disciplina astronomica, verum etiam de Academia nostra, de civitate Traiectina, de patria et civibus; lugemus clarissimum defunctum, cuius desiderium tenet uxorem carissimam, optimos parentes, amicos, discipulos; cuius scripta magni esse facienda summisque laudibus digna ésse habenda unanimo semper consensu iudicabunt sublimis disciplinae periti.

Clarissimo Buys Ballot gratiam habemus, quod vacante clarissimi Hoekii cathedra defuncti locum supplere voluit, cum in speculae Astronomicae administratione, tum in tradendis et Astronomia populari, et, quantum ea persequi munus ipsius et officium patiuntur, aliis disciplinis, assistente viro Doctissimo Mauritio Snellen.

Vacante Hoekii cathedra felicior fuit ea, quam clarissimum Rovers, propter septuaginta annorum aetatem rude donatum, successori relinquere lex iussit. Quod nihil mirum. Astronomorum enim copia nequaquam astrorum agmini est aequiparanda, Historiae vero disciplina quam plurimos alit cultores. Roversium nostrum diutius retinere vehementer cupivimus omnes, quippe reputantes nobiscum, non facile virum quempiam doctum reperturos esse amplissimos Curatores, cum Roversio nostro comparandum. Per quadraginta et septem annos in docendo exercitatus; in Athenaeo Franequerano per septemdecim, in Academia Groningana per duodecim, in nostra autem Academia per octodecim annos, egregie de Historia atque literis meritus, insignis doctrinae copia clarus... Verum ne obliviscar, me omnino felicem esse praedicandum, quod iam nunc parentalium cogitatio procul esse potest. Rude igitur superioris anni mense Aprili honorifice donatus, exacto anno academico discipulis et amicis, mense Iunio, vir clarissimus valedixit. — Trinos itaque viros clarissimos rude donatos salutamus, Nestorem nostrum Richardum van Rees, quem senectute non onerosa, verum operosa, ornatum videmus; Gerardum Iohannem Mulder, celeberrimum chemicum, in villa sua Bennecumensi a studiis minime vacantem; et Roversium nostrum, recens doctoris munere degressum; quos diu Deus Optimus Maximus servet!

Clarissimo Rovers successor datus est vir doctissimus Iohannes Adamus Wynne, Gymnasii Groningani Rector, qui bene audiebat, multisque nomi-

nibus se commendabat, optime iam tum de historia patriae, tum de historia universali meritus, quarum utramque egregiis libris conscribendis illustravit. Historiam docendi munus igitur auspicatus est superioris anni die vicesimo nono mensis Septembris, habita oratione, cui titulus: De difficultate investigandi in Historia veritatem; Belgice: "Over de moeilijkheid van het opsporen der historische waarheid." Neque ullum est dubium, quin clarissimi Roversii discipulo, praeceptoris vestigia pressuro, feliciter et ex voto cessura sint quaecunque in studiosae iuventutis commodum et Academiae disciplinaeque historicae incrementum in animo eum habere omnes sciunt. Cui igitur recens creato Historiae Professori ex animo optamus, ut scholarum nostrarum Traiectinarum famam maximopere et institutione sua et scriptis suis augeat.

Quod facere pergat clarissimus vir, qui per quinque lustra iam decus fuit et ornamentum Academiae nostrae. Cogitatis iam omnes nobilissimum B a r t h o l d u m I a c o b u m L i n t e l o d e G e e r, eximium quondam huius Academiae alumnum, anno huius saeculi quadragesimo septimo ad Iurisprudentiam tradendam huc vocatum. Festus fuit dies, dies ille vicesimus secundus mensis anni superioris Septembris, quum clarissimo viro, per viginti et quinque annos munus Professoris feliciter gestum, gratularentur Curatores, collegae, amicorum discipulorumque, undique confluentium, agmen insigne. Utinam diu salvum et incolumem servare pergat Deus Omnipotens egregium virum, cuius alacre ingenium, cuius reconditae eruditionis copias, et subtile iudicium, et indefessum literarum studium laudant omnes et admirantur.

Academiae Professoribus proximi sunt Academiae alumni, quos hodie intuens atque adspiciens continuo in memoriam mihi revoco immaturum obitum septem ornatissimorum iuvenum, hoc anno academico morte nobis ereptorum. Diem enim supremum obierunt Antonius Adrianus Grondhout, Medicinae Studiosus; Hugo Christianus Pleyte, Philosophiae Naturalis Studiosus; Theodorus Ruys, Theologiae Studiosus; Ianus Gulielmus Antonius Phaff, Medicinae Studiosus; Iacobus de Puy, Theologiae Candidatus; Gerardus Plechelmus Bloemen, Medicinae Doctorandus; Bastianus Los, Theologiae Candidatus . . . Eheu tristem nuntium, doloris tristem memoriam et recordationem! Quot cara capita parentibus, praeceptoribus, amicis, Academiae nostrae erepta videmus; optimos iuvenes, quorum plu-

rimi prope ipsam fere metam studiorum occubuerunt; quorum bini ad examen ecclesiasticum subeundum se praeparabant, Iacobum cogito de Puy et Bastianum Los. Quibus caris nominibus addere mihi liceat nomen praestantissimi Iohannis Antonii Iacobi Klaassen, qui Dissertationem Theologicam „de Marco Minucio Felice" conscripsit quidem, non vero in lucem edidit neque defendere potuit, praematura quippe morte impeditus. Hic Sacri Ministerii in Ecclesia Reformata Nederlandica Candidatus, summos in Theologia honores hoc anno academico in nostra Academia petiturus, sine dubio ob summam doctrinae praestantiam magna cum laude Theologiae Doctor dictus, renuntiatus, proclamatus foret, nisi succubuisset morti! Huius autem praestantissimi iuvenis, qui haud vulgaris Theologi spem nobis fecerat, specimen Academicum pie et religiose edendum curavit Promotor designatus, vir clarissimus ter Haar, superioris anni mense Iulio operi postumo ita praefatus, ut carissimo discipulo monumentum exegerit, et se praeceptore et quem etiamnunc lugemus defuncto discipulo dignissimum.

Ex hoc uno omnes vestros discite praeceptores, optimi iuvenes, generosi adolescentes! Etenim, quamquam Academiae fata enarrans me contineo a cuiusquam compellatione, tamen, de vobis vestrisque rebus verba faciens, me continere nec possum nec volo, quin ad vos meam orationem convertam! Ex hoc uno, inquam, omnes vestros discite praeceptores, qui ingenuos discipulos aut fato functos, aut ad honores vocatos atque promotos, amore, studio, observantia prosequi soleant. Ita vobis palam factum est, quanto pretio habeamus atque habere soleamus assiduitatem vestram et diligentiam et studiorum amorem, morumque probitatem, animique ad omne, quod bonum, pulchrum, verum est, intentionem. Omnibus igitur, quibus poteritis, viribus, obsecro, earum disciplinarum studiis operam date, quae maxime vestro ingenio conveniant, maximamque ad vitam bene agendam et munera in plurimorum commodum gerenda habeant utilitatem. Quanto maiore tristitia praematura optimorum iuvenum mors nos affecit, tanto maiore laetitia afficimur, quum laudes vestras celebrari audimus, magnamque vestram omnium bonorum virorum commendationem. Quas haud paucos vestrum omnino habere constat atque notum est; quas nonnulli fortasse nondum sibi compararunt aut comparare studuerunt; quas

autem nemo vestrum contemnat floccique pendat. Quodsi hîc adsint, quibus, ratione habita anni praeteriti, „o mihi praeteritum referat si Iuppiter annum" in ore ac mente esse debuerit, hos vehementer etiam atque etiam rogamus, ut velis remisque ad studia se vertentes in posterum de literis se avelli atque abstrahi nequaquam patiantur, considerate quippe in exempla sibi proponentes iuvenes praestantissimos, quos in arena reportasse praemia novimus. Ad horum exemplar vos componatis, optimi commilitones, aut ad defuncti, de quo dixi, Klaassenii, aut — ad consultissimi, imo clarissimi viri exemplum, qui ante hos sex menses Iuris in hac Academia Candidatus, mox mense Novembri Iuris utriusque Doctor creatus, superioribus his diebus Iuris Professor in Illustri Amstelodamensium Athenaeo factus est. Nonus est annus, ex quo primum huius Academiae Rector Magnificus Cornelii Pynacker Hordijk nomen civibus Academiae nostrae adscribendum curavi. Novem annis post, magistratum academicum me iterum gerente, summi in Iure Romano et hodierno honores in eum magna cum laude collati sunt. Sic eximius hic commilito noster intellexit notissimum illud „nonum prematur in annum"! Et maximo quidem cum fructu! Scilicet vixdum e Studiosorum numero discessit, quin confestim in Professorum ordinem se viderit receptum. Quem insignem honorem hoc ipso die clarissimo viro Cornelio Pynacker Hordijk publice gratulamur. Aut ego egregie fallor, aut hoc ad ea pertinet, quae laeta ac prospera me Rectore Academiae nostrae evenerunt. Aut ego egregie fallor, aut vobis, iuvenes spectatissimi, ad huiusmodi exempla vos componentibus laeta ac prospera ultro certe occurrent!

Ad studiorum adminicula et praesidia transiens, nihil fere iis addendum habeo, quae superioris anni Rector Magnificus, clarissimus Halbertsma, retulit. Obmutuerunt veteres querelae. Piis votis vix est locus. Habent quae deesse non licet Musea, Laboratoria, Collectiones, Nosocomium, Institutum pathologicum, Specula Astronomica, Hortus Botanicus. Nihilne igitur desideratur? Scilicet. Desideratur, ut in dies magis magisque ad altiorem perfectionis gradum evehantur, aut, quatenus res id postulare videatur, emendentur, augeantur, amplificentur. Desideratur Laboratorium Physicum, cuius tamen spem nobis iam faciunt nummi, ad fundum emendum ex aerario publico destinati. Desideratur Laboratorium, quod Physio-

logiae plantarum studiis inservire possit, cuius tamen instructio iam praeparatur. Desideratur nova dispositio Musaei historiae naturalis, Musaei anatomici, Instituti pathologici, quibus tamen desideriis brevi satisfacturi sunt qui harum rerum curam gerunt. Quid igitur? De coelo servantes secunda auspicia ventosque secundos Academiae nostrae augurari haud reformidamus; de coelo, scilicet, quatenus e Curatorum benevolentia pendet!

Ad finem narrationis pervenienti, restat mihi, ut de Bibliotheca nostra academica dicam, cui honoris causa hunc ultimum locum servavi. Etenim non huic illive ordini constituta et adaptata est, non huic illive studiorum disciplinarumque generi accommodata, verum omnibus omnino destinata. Commune nobis vinculum est hortus ille literarius, in quem inter nos coniuncti Professores et Studiosi descendere et convenire solemus. En aedes magnificas! Quantum ab iis Area academica distat! Intrantibus, scilicet in bibliothecam, omnia fere arrident, nitide et ordinate instructa et parata, ad visitantium non tantum delectationem, verum etiam commodum, quum iam facile infra supra ambulandi, librosque, altissimo etiam loco asservatos, absque magno vitae periculo inspiciendi manibusque terendi copia data sit. Librorum numerum variis denuo modis auctum esse, omnes intelligitis. Memorandi sunt qui pertinent ad collectionem operum, Physicam spectantium, a Societate Londiniensi Rayana editorum; libri, quos argumenti historici et archaeologici e bibliotheca Suermondtiana coëmendos curarunt Amplissimi Academiae nostrae Curatores; exemplar, ni fallor unum superstes, nitidissimum illud, primae editionis Psalmorum Dathenianorum, Heidelbergae in lucem missae, quod harum rerum peritis erat incognitum, e bibliotheca celeberrima Serruriana in Traiectinam bibliothecam hoc anno traductum. Nuperrime etiam placitum est Curatoribus, ut emptio fieret maioris editionis codicis Sinaitici, a Tischendorfio in lucem missae. Interea catalogi alterum supplementum typis edere pergunt Bibliothecae Praefecti. Librorum autem manuscriptorum Hebraicorum, Arabicorum, Persicorum, Turcicorum, Malaicorum catalogum, typis iam expressum, confecit clarissimus de Iong. Quo catalogo conficiendo optime meritus esse censendus est auctor, cum de Bibliotheca nostra, tum de literis Orientalibus, in quarum studio vitae tabernaculum posuit. Perfectum laborem, ipsi non nimis ingratum, cla-

rissimo de Iong gratulatur Academia Rheno-Traiectina, ipsique gratias quam maximas habet, quod benevole opus illud suscipere haud recusavit.

Annalium academicorum novus tomus Lugduni-Batavorum praeparatur, et aliorum orationes continens, et Rectoris Magnifici ex ordine Theologorum, qui ante hos quinque annos Academiae nostrae regundae munere abiit. Brevi itaque tempore orationem, quam ex hac ipsa cathedra collega meus disertissimus habuit „de Religione Christiana, optima verae humanitatis magistra," et narrationem fatorum Academiae nostrae anni huius saeculi sexagesimi octavi tandem in Annalibus academicis legendi copia nobis aliisque dabitur. Quaerit fortasse quis difficilis et morosus, et novandi cupidus, quidni adhibito in Annalibus illis edendis praelo tachy-typographico intra biennium mittantur in lucem, aut saltem intra triennium, grandia illa volumina, ne nimis morantia subinde post festum venire non prorsus immerito censeantur...

Sed vela contrahenda sunt. Narrandi finem fieri tempus est. Vos, humanissimi Auditores, amare et diligere pergite Academiam nostram Traiectinam!

(Secuta est brevis oratio ad viros amplissimos, Academiae Curatores, ad virum consultissimum van Hoytsema, qui Curatorum acta curat, ad Professores, inprimis ad viros clarissimos ter Haar, van Rees, de Geer, Loncq, Buys Ballot, Engelmann. Clarissimi Rovers et Donders aberant. Postremo convertit Rector orationem ad cives academicos, ornatissimos iuvenes.)

Ad praemiorum distributionem transeuntes, virum clarissimum Halbertsma, qui Senatus academici acta curat, officiosissime rogatum volumus, ut Ordinum Iudicia de acceptis responsis recitet.

(Secuta est Iudiciorum recitatio.)

Insignem honorem vobis gratulor, praestantissimi Gratama et van der Mey! Regium donum vobis paratum est; nummus aureus, quem Regis Augustissimi liberalitas et munificentia victoribus in certamine literario destinavit. Regia via procedentes in arenam descendistis et vicistis! Iam adscendatis quaeso, ut nummos, iure et merito vobis donandos, continuo vobis tribuam.

Iudicii tui acumen laudavit Ordo disciplinarum mathematicarum et physicarum [1]), ingenium tuum iudicio subactum, prudentiam tuam in concludendo. Non exiguus honos hicce tuus! Quidquid non liquet, praestantissime Gratama, hoc omnino luce clarius liquet, te sapientiam habuisse magistram, quae discipulos suos docet in medio relinquere quodcumque constare nondum constet. Pergas, optime commilito, decus Academiae Groninganae, naturam investigare! Si fieri unquam possit, ut ex inanimis materiis corpora viva nascantur, quod hodie nondum liquet, tibi aliquando contingat, per indefessam investigationem pervenire ad inexspectatam inventionem corporis alicuius vivi ex inanimi materie nati!

Non minima laus est, praestantissime van der Mey, qui Illustre Amstelodamensium Athenaeum ornas, non minima laus est, difficillimum argumentum bene perspexisse, singularem industriam adhibuisse, in iudicando

---

[1]) Ordo disciplinarum mathematicarum et physicarum ad quaestionum, quas posuerat, alteram: „Expositio critica praecipuarum investigationum, quae institutae sunt ad solvendam quaestio„nem: an corpora viva ex inanimis nasci possint materiis. Addantur autem propria quaedam „circa hanc quaestionem experimenta:”

duas accepit Commentationes.

Prior Commentatio, hoc insignita lemmate, *Pasteur! à la rescousse!* succinctam continet historiam rei, quae in disceptationem venit, sed non exponit praecipuas investigationes, quarum in quaestione diserta mentio fit. Huic brevitati consequens est, ut argumenta desint, quibus disquisitio fulciatur ac firmetur, et commentatio similior videatur scriptioni, quae in hoc illove coetu legatur, quam responsioni ad quaestionem academicam. Propria autem experimenta, quae Ordo postulaverat, scriptor addidit nulla, causam afferens tantam eorum difficultatem, quanta a cive academico superari haud possit. Itaque scriptor priori quaestionis parti tenuiter, posteriori prorsus non satisfecit. Hinc censuit Ordo, eum nullis ornandum esse honoribus.

Huic Disputationi longe multumque ea praestat, cui hoc lemma: *Non liquet.* Prolegomena excipit synopsis historica, quatuor capitibus constans et optime scripta, quae iusto nec longior nec brevior praecipuas continet sententias usque ad nostram aetatem in lucem editas, ut vis argumentorum, inde ductorum, critices severitati subiiciatur. Hanc scriptor nusquam neglexit et probavit etiam iudicii acumen. Praeterea multa ille addidit experimenta, quae capite quinto diserte exponuntur, neque repetitionem tantum continent eorum, quorum notitia iam nobiscum est communicata, sed ea etiam, quae ab ipso scriptore primum tentata sine dubio eo pertinent, ut quaedam quaestionis partes accuratius explorentur, eaque universa hac ratione propius ad solutionem adducatur. — Accedit, quod scriptor ingenium probat iudicio subactum et vero prudentiam in concludendo admodum laudabilem.

Quamobrem de totius Ordinis sententia scriptor positae quaestioni omnino satisfecit, omnesque eius socii hanc Commentationem praemio aureo dignam censuerunt. Aperta schedula auctor prodiit

GUILIELMUS DIGNUS GRATAMA,

Phil. Nat. in Acad. Gron. Candidatus.

sollertem te praestitisse — ut uno verbo dicam — Ordinis Medicorum Traiectini laudes meruisse! [1]) „Ars longa", tuae autem vitae praeteritum spatium adhuc breve est. Quod restat Arti consecretur, cuius alacrem et felicem te probavisti cultorem. Vitae brevitatis memori sit vita tibi longa, deliciis plena, arti autem salutari, quam facere tibi proposuisti, fausta et salutiferis fructibus abundans!

Quod hodie gratissimum censendum est restat. Ex decreto Regis Augustissimi in proximum annum Rector Magnificus creatus est vir clarissimus Henricus Petrus Gothofredus Quack, Iuris in hac Academia Professor.

Accedas, vir clarissime!

Salve, iterumque salve, Rector Magnifice! Magistratum academicum tibi trado. Munere abeunti sit tibi laeta magistratus tui recordatio. Te Rectore vigeat, viresque augeat, nec detrimenti quid capiat Academia Rheno-Traiectina!

Quod faxit Deus Omnipotens, cui laus, honos, gloria in aeternum!

DIXI.

---

1) Ordo medicorum ad quaestionem his verbis conceptam:

„Praemissa theoria respirationis mechanica, quam Magnus proposuit, conspectus exhibeatur „historicus idemque criticus disquisitionum ipsam insecutarum, ut pateat, quo pacto functionis „illius doctrina deinceps immutata sit,"

unum accepit responsum, hoc lemmate inscriptum: „Ars longa, vita brevis."

Auctor huius commentationis difficillimum, in quo versatur, argumentum bene perspexit, numerosa, quibus physiologorum disquisitiones exponuntur, scripta sedulo perscrutatus est eademque recte diiudicavit. Minus vero probanda prolixitas in recensendis singulorum laboribus, etiam iis, qui vel nullam vel parvum duntaxat ad theoriam respirationis perficiendam habuerunt momentum. Requisiverat enim Ordo conspectum theoriam istam, ut sensim explicata fuit, illustrantem, nil ultra. Temporis angustia pressus auctor ad scribendum properasse videtur, antequam in materie tractanda vere regnaret. Neque hoc tamen, neque festinationis vestigia, quae postremae commentationis partes continent, quidquam detrahunt de laude singulari Scriptoris industriae iudicandique solertiae, quemadmodum operi tam accurato tamque completo tribuenda. Quae quum ita sint, Ordo Medicorum non dubitavit aureum praemium Scriptori decernere.

Aperta scidula nomen prodiit:

GERARDI HENRICI VAN DER MEY,

in Illustri Amstelodamensium Athenaeo Medicinae Candidati,

qui quidem, examine instituto, verum se probavit commentationis auctorem.

AANTEEKENING.

Blz. 95. Bedoeld is de Inwijdingsrede van den Hoogl. J. A. Wynne, over *de Moeilijkheid van het opsporen der historische waarheid*, Groningen, 1873. — Blz. 97. Gezinspeeld wordt op de *Natürliche Schöpfungsgeschichte* van Prof. Ernst Haeckel, waarvan de 4e uitg. te Berlijn in 1873 het licht zag. — Blz. 97. Vgl. M. Perty, *Die Anthropologie als die Wissenschaft v. d. körperl. und geistigen Wesen des Menschen*, Leipz. u. Heidelb. 1874. II. 7. — Blz. 99. Vgl. Haeckel, *Natürl. Schöpfungsgesch.*. blz. XVIII. — Blz. 100. Haeckel, t. a. pl. bl. 12 en XXXII. Zie ook blz. 589. Darwin, Holl. vert. van *de Afstamming v. d. Mensch*, door Dr. H. Hartogh Heys van Zouteveen. I. 184. — Blz. 103. Darwin, t. a. pl. Holl. vert. I. 88. O. Pfleiderer, *Die Religion, ihr Wesen und ihre Geschichte*. Leipz. 1869. II. 3, 4. C. P. Tiele, *Theol. Tijdschr.* 1873. blz. 573. — Blz. 107. Holl. vert. van Darwins *Afstamm. v. d. Mensch*. II. 443. C. P. Tiele, *De plaats van de godsdiensten der Natuurvolken in de Godsdienstgeschiedenis. Redev. bij het aanvaarden v. h. Professoraat aan het Semin. der Remonstr.* Amst. 1873. blz. 11, 12. — Blz. 116, 117. Vgl. F. Schultze, *Der Fetischismus*. Leipz. 1871. blz. 288 en blz. 86. Tiele, *Theol. Tijdschr.* 1873. blz. 397, 401. — Blz. 124. Vgl. Holl. vert. I. 266 en 333. — Blz. 125. T. a. pl. blz. 298 enz. — Blz. 126. Vgl. *De plaats v. d. godsd. d. Natuurv.* blz. 20. — Blz. 127, 128. Vgl. hierbij Perty, *Anthrop.* II. 165 enz. 184 enz. en R. Virchow, *Die Urbevölkerung Europa's*. Berl. 1874. blz. 12 enz. — Blz. 129. Vgl. hierbij Haeckel's *Natürl. Schöpfungsgesch.* blz. 590—598 en Darwins *Afst. v. d. Mensch*, Holl. vert. I. blz. 76 enz., 306. — Blz. 130. „Toppunt van onzin." Dit is het gevoelen van Dr. Ludw. Büchner in de door hem uitgegeven vert. van Sir Ch. Lyells werk, *Das Alter des Menschengeschlechts auf der Erde* enz. Leipz. 1874. blz. 348. — Blz. 131. Darwin, t. a. pl. Holl. vert. I. blz. 87 en 88; 94, 95. — Blz. 132, 133. Caspari, *Urg. d. M.* Leipz. 1873. I. 295. (vgl. ook blz. 303). — Blz. 134, 135. Zie *Theol. Tijdschr.* 1873. blz. 249, 250. — Blz. 135. *Afst. v. d. M.* Holl. vert. I. 306. — Blz. 136. Vgl. onder and. J. Lubbock, *Die vorgeschichtliche Zeit*, Jena, 1874, hoogd. vert. van A. Passow. II. 272, 278. E. B. Tylor, *Die Anfänge der Cultur*, hoogd. vert. van J. W. Spengel en Fr. Poske. Leipz. 1873. I. 240. — Blz. 137. *Theol. Tijdschr.* 1873. blz. 249, 250. — Blz. 143. Vgl. II. blz. 59—61. — Blz. 145. *Theol. Tijdschr.* 1873. blz. 574. — Blz. 148. *Godsd. v. Zarath.* Haarl. 1864. blz. 32 en *Theol. Tijdschr.* 1873. blz. 388. — Blz. 149. „Eene beschrijving van de Gesch. d. godsd., elk op zich zelf" enz. Vgl. hierbij het elders door mij geschrevene, in mijne *Leer van God*. Utr. 1871. blz. 3—36.

INDEX SCRIPTORUM

QUAE EDIDIT

MARTINUS HOEK.

De Kometen van de jaren 1556, 1264 en 975, en hare vermeende identiteit. Academisch Proefschrift ter verkrijging van den graad van Doctor in de Wis- en Natuurkunde. 's Gravenhage, de Gebr. van Cleef, 1857.

De Herleving der Sterrekunde aan het einde der Middeleeuwen. Redevoering ter aanvaarding van het Hoogleeraarsambt aan de Hoogeschool te Utrecht, den 24sten Juni 1859. Te 's Gravenhage, bij de Gebr. van Cleef, 1859.

Sterrekundige Waarnemingen en Mededeelingen, geplaatst in de *Astronomische Nachrichten* van 1856 en de volgende jaren, Dl. 44—48; 50—57; 61—63; 67—70; 73.

Recherches Astronomiques de l'Observatoire d'Utrecht. *Première Livraison.* De l'Influence des mouvements de la terre sur les phénomènes fondamentaux de l'Optique, dont se sert l'Astronomie. La Haye, Martinus Nyhoff, 1861. — *Deuxième Livraison.* Perturbations de Proserpine, dépendantes de la première puissance de la masse perturbatrice de Jupiter. La Haye, Martinus Nyhoff, 1864. — *Addition à la première livraison.* Recherches sur la quantité d'Ether, contenue dans les liquides. Par M. Hoek et A. C. Oudemans. — Sur les Contractions dans les Mélanges des Liquides. Par M. Hoek et A. C. Oudemans. La Haye, Martinus Nyhoff, 1864.

Ephemeride van Proserpina, voor de oppositie van 2 Januari 1865. In de Verslagen en Mededeelingen der Kon. Akad. van Wetenschappen. Afd. Natuurkunde, 2e Reeks, Deel I. Amst. 1865.

Détermination de la vitesse, avec laquelle est entrainée une onde lumineuse traversant un milieu en mouvement. — Sur les prismes achromatiques construits avec une seule substance. Versl. en Meded. der Kon. Akad. van Wetensch. Afd. Natuurk., 2e Reeks, Deel II. Amst. 1868.

Aanwijzing voor het waarnemen van vallende sterren in den nacht van 13 November aanstaande. Utrecht 1867.

Sterfte-tabellen en Sterfte-lijnen voor de gemeente Utrecht. In de Verslagen van de Vereeniging tot verbetering der volksgezondheid, opgerigt te Utrecht in 1866, Deel II. Utrecht, K. A. Manssen, 1867.

On the Phenomena, which a very extended swarm of Meteors coming from space presents after its entry into the solar system. In the Monthly Notices of the Royal Astron. Society. March 13, 1868.

On the Comets 1857, III and V, and 1867, III. In the Monthly Notices enz. March 13, 1868.

Détermination de la vitesse, avec laquelle est entrainé un raijon lumineux traversant un milieu en mouvement. In de Versl. en Meded. der Kon. Akad. v. Wetensch. Afd. Natuurkunde, 2e Reeks, Deel III. Amst. 1869.

ACTA IN SENATU

A. CIↃIↃCCCLXXIII—CIↃIↃCCCLXXIV,

RECTORE MAGNIFICO JACOBO ISAACO DOEDES,
GRAPHIARIO TJALLINGIO HALBERTSMA.

Die 26 m. Martii 1873. Rector Magnificus Tjalling Halbertsma ab Amplissimo Senatu deducitur in cathedram, ubi *Latine* iubente decreto regio Academiae per proximi anni decursum fata enarrat, tum, recitatis voce Actuarii Quaestionibus, quas singuli hoc anno Ordines proposuerunt, novum Rectorem Magnificum salvere iubet, eique fausta omnia apprecatur.

Quibus rite ac legitime peractis, *Sermone vernaculo* habet orationem, quae inscribitur: *De Grondwet en het Hooger Onderwijs.*

E Curatorum decreto Senatus Actuarii munus mandatum est viro cl. T. Halbertsma.

Die 5 m. Septembris. Prorector Senatum certiorem facit de obitu viri cl. Martini Hoek, in facultate Matheseos et Philosophiae Naturalis Professoris ordinarii.

Die 29 m. Septembris. Vir. clar. Johannes Adamus Wynne in facultate Philos. theor. et litt. hum. Professor ordin. designatus munus auspicatus est, habita oratione, cui titulus: *De moeielijkheid van 't opsporen der historische waarheid.*

Die 3 m. Martii 1874. Designantur quatuor viri, e quibus a Rege Augustissimo Rector Magnificus in proximum annum creetur:

ex	ordine	Iureconsultorum	vir	clar.	H. P. G. Quack.
〃	〃	Mathematicorum	〃	〃	C. H. C. Grinwis.
〃	〃	Literatorum	〃	〃	H. van Herwerden.
〃	〃	Medicorum	〃	〃	Th. G. Engelmann.

Designantur deinceps quatuor viri, e quibus eligatur Senatus Academiae Actuarius:

ex	ordine	Mathematicorum	vir clar.	C. H. C. Grinwis.
〃	〃	Theologorum	〃 〃	B. ter Haar.
〃	〃	Iureconsultorum	〃 〃	G. G. Vreede.
〃	〃	Literatorum	〃 〃	P. de Jong.

Assessores tandem designantur:

ex	ordine	Mathematicorum	vir. clar.	P. Harting.
〃	〃	Literatorum	〃 〃	I. A. Wynne.
〃	〃	Medicorum	〃 〃	T. Halbertsma.
〃	〃	Theologorum	〃 〃	I. I. Doedes.

DE MOEIELIJKHEID VAN 'T OPSPOREN DER HISTORISCHE WAARHEID.

EEN INWIJDINGSREDE,

BIJ 'T AANVAARDEN VAN HET AMBT VAN GEWOON HOOGLEERAAR IN DE FACULTEIT DER BESPIEGELENDE WIJSBEGEERTE EN LETTEREN AAN DE HOOGESCHOOL TE UTRECHT,

DEN 29sten SEPTEMBER 1873

UITGESPROKEN

DOOR

Dr J. A. WIJNNE.

EDEL GROOTACHTBARE HEEREN CURATOREN DER UTRECHTSCHE HOOGESCHOOL.

HOOGGELEERDE HEEREN RECTOR MAGNIFICUS EN HOOGLEERAREN IN DE VERSCHILLENDE FACULTEITEN.

EDEL ACHTBARE HEEREN, WIEN HET BESTUUR DEZER GEMEENTE EN DE HANDHAVING VAN 'T RECHT ZIJN TOEVERTROUWD.

WELEDELE ZEER GELEERDE HEEREN DOCTOREN IN DE ONDERSCHEIDEN WETENSCHAPPEN.

WELEERWAARDE HEEREN LEERAREN VAN DEN GODSDIENST.

WELEDELE HEEREN STUDENTEN AAN DEZE HOOGESCHOOL.

GIJ ALLEN VERDER, DIE DEZE PLECHTIGHEID MET UWE TEGENWOORDIGHEID VEREERT.

ZEER GEWENSCHTE TOEHOORDERS.

De mensch, zegt Cicero, haat van nature de leugen en bemint de waarheid. Hieraan is het voorzeker toe te schrijven, dat hij voor 't begrip van hetgeen men onder „Geschiedenis" verstaat een woord heeft gekozen, dat, in afleiding en beteekenis, alle denkbeeld van onwaarheid buitensluit. Dat woord, het woord „historie", zal hij hebben genomen, omdat de eerste eisch, der geschiedenis gesteld, is die der waarheid: zij moet de spiegel der waarheid; de afschaduwing der werkelijkheid zijn. „Quis nescit, primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat, ne quid veri non audeat." „Het is de plicht van den historieschrijver, het ware van het onware te onderscheiden", of, zooals elders staat, „de geschiedschrijver behoort voor zichzelf uit te maken, wat wel kan zijn gebeurd, maar moet ten gevalle van den lezer vaststellen, wat werkelijk heeft plaats gehad."

Inderdaad, de hoofdeigenschap van den historieschrijver is een ernstig en vurig verlangen naar de kennis der waarheid, een algeheele afkeer, niet slechts van de onwaarheid, maar ook van alle dwaling en misvatting, een niet te bedwingen ongeduld bij 't hooren van onjuiste voorstellingen van 't gebeurde. Te beginnen met Herodotus is het streven naar 't mededeelen van de waarheid en van niets dan de waarheid dan ook het kenmerk aller geschiedschrijvers van den eersten rang. Geenszins is Herodotus, zooals lord Bolingbroke meent, een zoet verteller van sprookjes, die geen ander doel heeft, dan u te vermaken. Integendeel, bij den vader der historie openbaart zich de zucht naar waarheid in zijn telkens wederkeerende betuiging, „dat hij liever erkent het niet te weten, dan dat hij, in weerwil zijner onkunde, iets vermeldt", of wel in deze niet minder dikwerf in zijn werk voorkomende uitdrukking: „óf het zóó is, weet ik niet; doch wat gezegd wordt bericht ik."

Op hooger standpunt staat reeds Thucydides. Niet wat hij zoo maar heeft gehoord of naarmate hijzelf heeft geoordeeld zal hij te boek stellen, maar wat hij in persoon heeft beleefd of na onderzoek als gegrond erkend. Met minachting laat hij zich uit over het *ἀταλαίπωρον* van de *ζήτησις τῆς ἀληθείας* bij zoovelen. Wie kent niet het „sine ira et studio" van Tacitus? Niebuhr hoopt, dat men eens de geschiedenis zal voorstellen, als door menschen gewrocht, en Ranke is tevreden, zoo hij erin slaagt, te verhalen, wat eigenlijk is voorgevallen.

In de schatting van hen, die ze opperen, is de strekking dier bedenkingen in geenen deele, eenige minachting te betoonen voor de wijsbegeerte der geschiedenis. Afgescheiden van 't geen zij heeft gewrocht, staat haar streven hiervoor dan ook te hoog. Gesteld zelfs, dat de uitkomst van dat streven niet de minste waarde had, dan nog kan de invloed der nasporingen van zulke diepe denkers op de ontwikkeling der historische wetenschap niet tezeer worden gewaardeerd. Voor een grondiger opvatting der algemeene historie hebben zij den weg gebaand en allerwege vruchtbare kiemen gelegd. Daarenboven zijn er onder hen, b. v. Buckle, die in 't nasporen der feiten, als grondslag der redeneering, een nauwgezetheid en stiptheid aan den dag leggen, waardig om te worden benijd door elken historievorscher in den gewonen zin. Nogtans zal wie het met de geschiedenis wel meent de overtuiging deelen van mannen, als Augustin Thierry, Gervinus, Ranke, Giesebrecht, de overtuiging, dat, zal de dom der historische wetenschap eens verrijzen, de mensch nog gedurende een zeer langen tijd den weg der bedachtzame nasporing van elk onderdeel dier wetenschap moet betreden. En moge hij, afgemat door het nimmer ophoudend voortschrijden op een baan, die van geen

geens schijnt te weten, nu en dan moedeloos neerzinken en zich afvragen, of het doel dan nooit zal worden bereikt, hij trooste zich met de gedachte, dat met elke andere wetenschap die der historie dit gemeen heeft, dat zij, in haar eindeloosheid, verwant is aan de Godheid zelve.

Edel Groot Achtbare Heeren Curatoren dezer Hoogeschool. Toen ik straks onder andere namen ook dien van den vóór kort overleden wijsgeer Mill noemde, zal u voor den geest zijn gekomen, dat hij in een zijner veelvuldige geschriften een stelselmatig onderricht in den gang der Algemeene Geschiedenis voor vrij overbodig houdt; dat hij de taak van den Academischen leeraar wil hebben beperkt tot die van gids op het terrein van de philosophie der geschiedenis. Uw denkwijze over dit gewichtig vraagstuk is mij onbekend. Doch wat bij mij vaststaat is dit, dat vooralsnog, bij de onmogelijkheid om, gelijk Mill wil, door lectuur alleen een voldoende kennis van de leidende hoofdzaken te verwerven en bij 't gebrekkige van 't voorbereidend onderwijs in de feiten, in ons land althans een Hoogleeraar in de Historie het eene zal hebben te doen en het andere niet te laten.

Hoe het zij, dat gij hebt gemeend, voor het vervullen der tweeledige taak, het onderricht in de Algemeene Historie en in de Romeinsche oudheden, mij te mogen voordragen aan Z. M. onzen geëerbiedigden koning, merk ik aan als een belangrijk voorrecht, mij te beurt gevallen, waarvoor ik u gaarne mijn oprechten dank betuig. Wel verhinderde het ambt, dat ik eenige dagen geleden heb neergelegd, mij niet eenigermate *te leven* voor de vakken mijner keus; maar het verschafte mij geenszins de ruime gelegenheid, om aan mijn studie dien omvang te geven, waarnaar ik meer en meer begon te haken. Groot is alzoo mijn erkentelijkheid jegens u voor het vertrouwen, dat gij wel in mij hebt willen stellen. Evenmin als het kan worden geacht, op mijn weg te liggen, de gronden daarvoor te zoeken, vergt gij gewis van mij eenige belofte of verzekering aangaande de toekomst. Zelf echter gevoel ik, dat vertrouwen met daden te moeten rechtvaardigen. Wilt u er middelerwijl van verzekerd houden, dat er voor mij meer dan één reden bestaat, om mij, naar de mate van mijn geringe krachten en van den beschikbaren tijd, geheel te wijden aan 't geen

van nu aan mijn roeping niet alleen zal zijn, maar ook ten volle overeenstemt met mijn neiging. De wetenschappen immers — om hierop slechts te wijzen —, als welker vertegenwoordiger ik in dit oogenblik optreed aan deze vermaarde Hoogeschool, heb ik allengs leeren liefkrijgen als een instrument, waaraan ik, zooals ieder, aanvankelijk geen toonen kon ontlokken, maar dat ik mettertijd heb gewaagd — zij het dan ook onder vreeze en beving — in 't openbaar te bespelen. Hoe zou ik er dan thans ontrouw aan worden, nu de goede dunk, dien gij, waarom dan ook, hebt getoond van mij te koesteren, mij tot den uitverkorene heeft gemaakt, wien 't vergund wordt dit gestoelte te beklimmen? Hoe zou ik er ontrouw aan kunnen worden, nu ik weet, te zullen werken aan een Academie, welker verzorgers zich zooveel verdiensten hebben verworven voor de zaak der verlichting en beschaving in ons vaderland; aan een Academie, waar die verzorgers worden ter zijde gestaan door een man, die zoo onvermoeid waakt voor de belangen der wetenschap, als hij, die, vroeger uw medelid, thans de secretaris is van uw college en, tot mijn spijt, heden hier niet kon tegenwoordig zijn. In uw ondersteuning, Edel Groot Achtbare Heeren, waar ik ze zal mogen behoeven, beveel ik mij met den meesten aandrang aan.

Hooggeleerde Heeren Professoren. Zoodra ik mijn blik op u vestig, gevoel ik de neiging in mij opkomen, de woorden van den Thessaliër Cineas tot de mijne te maken. De plaats, mij door 's konings benoeming in uw uitgelezen kring aangewezen, hoop ik mettertijd zóó te bekleeden, dat gij termen zult kunnen vinden, mij uw achting niet te onthouden. Gaarne echter erken ik, met die achting alleen mij op den duur noode te kunnen tevreden stellen. Doch achting kan vriendschap kweeken, en de vriendschap is niet karig, maar kwistig met de blijken van haar aanzijn. Zoo hoog zijn mijn verwachtingen gespannen, Hooggeleerde Heeren ambtgenooten, omdat ik weet, in welk midden ik zoo even ben binnengeleid. Want niet zoo ver ligt Utrecht van de woonplaats, die ik vóór eenige dagen verliet, dat de faam mij niet sinds jaren heeft bericht, wie het zijn, die deze Hoogeschool haar wel gevestigden naam hebben doen verwerven. Ik ben huiverig te zeggen, dat het mijn streven zal wezen, althans te voorkomen,

dat door mijn toedoen aan dien roem afbreuk worde gedaan. Zal dit intusschen niet geschieden, hebt dan de welwillendheid, wanneer ik uw bijstand zal inroepen, dien te verleenen. De leeraar in de geschiedenis, een wetenschap, verwant aan natuurkunde, wijsbegeerte, taalkunde, godgeleerdheid, rechtsgeleerdheid, weet zeker, dien bijstand niet te kunnen ontberen.

Naarmate het tijdstip mijner benoeming meer en meer op den achtergrond begon te komen, paarde zich, Hooggeleerde Heeren, in mijn gemoed aan de ingenomenheid met de mij ten deel gevallen onderscheiding een gevoel van schroom, een lid te zullen worden van een zoo geleerd en werkzaam lichaam, als het uwe. Die schroom zou mij wellicht hebben kunnen beletten, herwaarts over te komen, ware het niet, dat ik meende het ervoor te mogen houden, dat ik, zoo niet door u allen begeerd, door meer dan één uwer gewenscht werd en niemand niet welkom was. Door uw voorbeeld aangevuurd, zal ik het mij dan ook tot een eere rekenen, met u te arbeiden als een dienaar der wetenschap, die hunkert en dorst naar de waarheid. Van u in 't bijzonder, Hooggeleerde Heeren leden der letterkundige faculteit, onder wie ik naast een voormalig ambtgenoot een man mag weervinden, wiens veelzijdige kennis ik reeds vroeger leerde op prijs stellen, den vriendschappelijken steun te mogen verwerven zal een der doeleinden zijn van mijn streven.

Te ondubbelzinnig hebt Gij, Hooggeleerde en zeer geëerde heer Rovers, te kennen gegeven, dat gij geen anderen erfgenaam van uw openbaren werkkring wenschtet, dan den erkentelijken leerling, die voor u staat, dan dat het mij mogelijk zou zijn, den schijn aan te nemen, alsof niet alleen ik, maar iemand hiervan onkundig kon zijn. Door den wensch openlijk uit te spreken, dat mij de stoel zou worden aangewezen, dien gij tot een sieraad der Academie hebt gemaakt, hebt gij de maat volgemeten dier talrijke bewijzen van overgroote belangstelling in mijn geluk, die ik nimmer zal vergeten. Ik behoef u niet te zeggen, dat ik, Groningen verlatende, velen en veel met leedwezen verliet. Maar de groote ingenomenheid hiermede, dat mijn naam, reeds door zoo sterke en vele banden aan den uwen verbonden, daaraan van heden af onverbrekelijk

werd vastgesnoerd, en het uitzicht op de hernieuwing van 't wetenschappelijk verkeer met u deden mij misschien te licht tellen, wat ik rijper had behooren te overwegen. Nu ik op het punt sta, het pad te betreden, waarop gij mij zijt voorgegaan, dringt zich met kracht aan mij op het besef van 't verschil tusschen mijn middelmatigheid en dat, wat uwe sterkte uitmaakt. Was het mij wellicht mogelijk, in weerwil van het onderwijs op lageren trap, dat ik had te verstrekken, eenig vermoeden te krijgen van de hooge eischen, den Academischen leeraar gesteld, hoe weinig beteekent dit tegenover — om niet meer te zeggen — de vastheid uwer dubitandi salubritas en den ruimen wetenschappelijken blik, door zoo langdurige ervaring als tot een tweede natuur bij u geworden. Het is dan ook alleen, omdat ik het vooruitzicht heb, als u kennende en met uw denkbeelden over historie en methode vertrouwd, u mettertijd te kunnen nastreven; omdat ik de zekerheid heb, dat mij uw hoog gewaardeerde raad, zelfs ongevraagd, zal te goede komen, dat ik het waag, de taak op te vatten, waarvan gij afstand hebt gedaan. Wat u aangaat, een krachtige ouderdom moge u in staat stellen, onafgebroken voort te gaan met te leven voor de wetenschap, die gij zevenenveertig jaren met zoo onbezweken trouw hebt gediend.

De genegenheid van u, den grooten kenner en verrijker der Historie van ons land, reeds vroeger te zijn waardig geworden, Hooggeleerde Heer Vreede, is voor mij steeds geweest een wettige reden, om mij tot fierheid te stemmen. Een heilige band is het, die ons vereenigt, de band der gemeenschappelijke vereering van den medestichter van ons onafhankelijk volksbestaan, van Johan van Oldenbarnevelt. Van 't oogenblik af, dat gij de gulden woorden hebt terneergeschreven, waarin dien grooten man voor 't eerst de rechtmatige hulde werd gebracht, die hem te lang was onthouden, hebt gij in mij de zucht doen ontvonken, om — zij het dan ook op behoorlijken afstand — mij naast u te scharen in 't voorstaan der eerbiedige herdenking van de nagedachtenis van een zoo verdienstelijk burger. Moge het uw wakker en onverschrokken woord zijn gegeven, weldra tot de laatste nevelen te doen optrekken, die ons nog eenigermate verhinderen, het beeld van dien onsterfelijken martelaar in al zijn luister

te aanschouwen. — En zal het mij wellicht vooreerst niet gegund zijn, bij 't volbrengen van dat heerlijk werk uw medestander te wezen, van uw leerrijk en opwekkend onderhoud, mij voortdurend in zoo menig krachtig geschrift uwer hand geworden, zal ik, nu mij het voorrecht uwer viva vox kan ten deel vallen, toch wel geen afstand behoeven te doen.

Dat ik onder mijn toehoorders ook u mag tellen, Wel-Edele Zeer Geleerde Heer van den Es, verhoogt mijn blijdschap, meer nog, dat wij weder voor elkander zullen kunnen zijn, wat wij elders gedurende een reeks van jaren waren. Te lang heb ik gestaan in de gelederen, waarin gij een zoo krachtig strijder zijt, dan dat mij zou vreemd worden de gewichtige zaak, waarvoor gij ijvert en die zoo nauw is verbonden aan de hooge belangen, waarvoor ook ik heb te waken. Moge intusschen het geheelenal samenwerken niet langer onze dagelijksche arbeid zijn, het samenleven en samenzijn zal daarom niet ophouden.

Denk niet, Hooggeleerde en zeer bevriende Moltzer, dat mijn leuze is „le roi est mort, vive le roi". Er zijn, zooals gij weet, wat den vorm betreft, eischen van betamelijkheid, die een voorganger bij een openbare plechtigheid niet mag verwaarloozen. Vandaar dat ik eerst nu het woord tot u richt. In dat woord vermag ik niet dan op hoogst onvolkomen wijze weer te geven, welk een onverdeeld genoegen ik, van 't oogenblik onzer kennismaking af, heb gesmaakt in uw deelnemenden omgang, bij uw levendige belangstelling in al hetgeen de geschiedenis betreft van het volk, die wij beiden lief hebben als een dierbren huisgenoot. Zoo niet onze taal, dan toch mijn taal is daarvoor te arm. Laat mij hopen, dat, nu het mij niet meer zal worden gegeven, u met de overige Groninger vrienden dagelijks te zien, dit dan ook de eenige verandering zij in onze wederzijdsche verhouding.

Aanzienlijke schare van jongelingen, die u aan deze Hoogeschool aan de studiën wijdt. Al is de historische waarheid moeielijk te vinden, zij is, vertrouw ik, te vinden. Die waarheid intusschen is het hoogste, waarnaar de beoefenaar der wetenschap heeft te streven. Het spreekt

alzoo vanzelf, dat zij alleen het deel kan worden van hem, die haar onafgebroken zoekt met al de kracht, die in hem is. Aleer men evenwel de waarheid poogt machtig te worden, zijn de zaken te kennen, waarin die waarheid verscholen ligt. U voor te gaan en ter zijde te staan bij het bewandelen van den weg, die leidt tot de kennis der zaken, zoowel op 't gebied der Romeinsche oudheden als op dat der Historie; op den weg, die tot de kennis der waarheid kan voeren, is van nu aan mijn roeping, een roeping, die ik ten hoogste waardeer en gaarne volg. Moge aan ons, dat doende, het woord van Goethe worden bewaarheid, dat de uitnemendste vrucht van de studie der historie is de geestdrift, die zij kweekt.

Tot mijn leedwezen kan ik, mijzelf bij u willende inleiden, mij niet, als op 't plechtanker mijner hope op een gunstige ontvangst, beroepen op den in den laatsten tijd door menigeen mijner ambtgenooten, hier of elders, aangevoerden grond, op het prille mijner jeugd, waardoor ik als een uwer zou zijn. Maar behalve dat gij mij zult veroorloven, u te herinneren aan het Fransche spreekwoord betrekkelijk den ouderdom, wilt gij mij voorzeker wel de eer aandoen, tot op 't bewijs van het tegendeel, te gelooven, dat ik met u deel de zucht om, door inspanning en nadenken, in 't bezit te geraken dier wetenschappelijke kennis, welke de kweekelingen dezer hoogeschool zoo hoog plegen te schatten. En is die trek u en mij gemeen, dan is de brug gelegd, waarop wij tot elkander kunnen komen. Zelf nog niets ten uwen gevalle hebbende gedaan, mag ik nog niet veel van u vergen. Het eenige daarom, dat ik u zal verzoeken, is dit: wilt, bij uw streven naar wetenschappelijke kunde, een ijver en zelfwerkzaamheid betoonen, waarbij de mijne te kort schieten; verplicht mij, door uw veelvuldige aanvragen om voorlichting en opheldering, welhaast in den waan te gaan verkeeren, dat ik niet tot hoogleeraar te Utrecht, maar tot volkstribuun in het aloude Rome ben benoemd.

IK HEB GEZEGD.

SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

INDE AB EXACTIS FERIIS AESTIVIS ANNI CIƆIƆCCCLXXIII USQUE AD FERIAS AESTIVAS ANNI CIƆIƆCCCLXXIV

A PROFESSORIBUS ET LECTORIBUS HABENDARUM,

RECTORE

IACOBO ISAÄCO DOEDES.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Historiam librorum Novi Foederis sive *Introitum in Novum Testamentum* tradet B. TER HAAR, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora X.

Historiam Ecclesiae Christianae enarrabit B. TER HAAR, diebus Lunae et Martis, hora XI.

Historiam dogmatum exponet B. TER HAAR, die Iovis, hora X.

Ethicen Christianam docebit B. TER HAAR, diebus Mercurii et Iovis, hora XI.

Exercitationes oratorias moderabitur B. TER HAAR, horis et sibi et auditoribus commodis.

Doctrinam de Deo (*Theologiam naturalem*) ad librum suum, cui titulus: *De Leer van God*, tradet I. I. DOEDES, diebus Lunae, hora IX, Martis et Mercurii, hora II.

Hermeneuticen librorum Novi Foederis, docebit I. I. DOEDES, diebus Lunae, hora II, et Mercurii, hora VIII, ad librum suum, cui titulus: *Hermeneutiek voor de Schriften des Nieuwen Verbonds, tweede vermeerderde druk*, 1869.

Exegesin librorum Novi Foederis tradet I. I. DOEDES, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora I, legendo *Petri priorem epistolam*, *Johannis priorem et alia quaedam*.

Historiam Religionum tractare perget I. I. DOEDES, die Martis, hora II.

Exercitationes catecheticas, duce *Enchiridio Catechetico* a se edito, moderabitur I. I. DOEDES, die Veneris, hora III.

Colloquia de rebus Theologicis et Ecclesiasticis habebit I. I. DOEDES, die Saturni, hora et sibi et commilitonibus commoda.

Theologiam Biblicam N. F., ad Editionem secundam Compendii a se editi exponere perget I. I. VAN OOSTERZEE, die Martis, hora IX.

Dogmatices Christianae Partem Materialem ad librum suum, cui titulus: *Christelijke Dogmatiek*, II, tradet I. I. VAN OOSTERZEE, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX.

Theologiam practicam, inprimis *Homileticam*, adiunctis exercitationibus Homileticis, docebit I. I. VAN OOSTERZEE, diebus Mercurii et Iovis, hora XII, Veneris, hora X.

De locis difficilioribus quarti Euangelii, ad historiam *Vitae Jesu* pertinentibus, cum provectioribus agere perget I. I. VAN OOSTERZEE, hora hiberna vespertina, postea constituenda.

Commilitonibus *orationes sacras* habentibus praesides aderunt atque *publicis disputandi exercitationibus* praeesse parati sunt Theologiae Professores.

Isagogen in libros Veteris Foederis exponet P. DE JONG, diebus Lunae et Saturni, hora XII.

Exegesin Veteris Foederis tradet P. DE JONG, interpretandis libris *Iobi* inde a Cap. XXXIX, die Martis, hora VIII, et *Iesaiae* inde a Cap. VII, die Veneris, hora XI.

IN FACULTATE IURIDICA.

Disciplinae Iuris naturalis fata et *praecipua placita* tradet G. G. VREEDE, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora IX.

Ius publicum Batavum exponet, dein *Iurisdictionis administrativae*, quae dicitur, caussas selectas tractabit G. G. VREEDE, die Lunae, hora X, die Martis, hora IX, die Iovis, hora XII.

Ius Gentium Europaeum tradet G. G. VREEDE, die Martis, hora X, die Saturni, hora XI.

Ius criminale docebit G. G. VREEDE, diebus Mercurii et Iovis, hora VIII, die Saturni, hora X.

Codicem Quaestionum criminalium explicabit G. G. VREEDE, die Mercurii, hora I, die Iovis, hora XI, die Veneris, hora I.

Ius Pandectarum enarrabit B. I. L. DE GEER, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris, hora XI.

Historiam Iuris Romani tradet B. I. L. DE GEER, diebus Lunae et Veneris, hora I, die Iovis, hora X.

Institutiones Iustiniani interpretabitur B. I. L. DE GEER, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora VIII.

Encyclopaediam Iuris exponet B. I. L. DE GEER, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora I.

Ius civile Nederlandicum docebit I. A. FRUIN, die Martis, hora XII, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX.

Ius mercatorium et *maritimum* exponet I. A. FRUIN, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora X.

Legem Iudiciorum privatorum explicabit I. A. FRUIN, die Martis, hora I, diebus Mercurii et Veneris, hora XII.

Exercitiis forensibus praeerit I. A. FRUIN, hora deinde indicanda.

Historiam politicam enarrabit H. P. G. QUACK, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XI.

Oeconomiam politicam docebit H. P. G. QUACK, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora XII.

Statisticam explicabit H. P. G. QUACK, diebus Lunae et Saturni, hora XII, Iovis, hora I.

Varias Socialistarum doctrinas critice exponet H. P. G. QUACK, horis et sibi et auditoribus commodis.

Publicis disputandi exercitiis praeesse parati sunt Iuris Professores.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

R. VAN REES, rude donatus, privatim tamen civium academicorum studia adiuvare, quantum poterit, paratus erit.

Zoologiam exponet P. HARTING, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, hora XI.

Anatomiam, *Physiologiam* et *Histiologiam comparatam* tradet P. HARTING, diebus Martis et Iovis, hora II.

Exercitationibus zootomicis et *microscopicis* quotidie praeerit P. HARTING.

Physicam experimentalem tradet C. H. D. BUIJS BALLOT, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, hora XII, die Veneris, hora XI.

Capita selecta Physicae in provectiorum discipulorum usum tractabit C. H. D. BUIJS BALLOT, diebus Martis et Mercurii, hora I; *Meteorologiam* explicabit post ferias hiemales, diebus Lunae et Martis, hora III, si qui auditores adsint.

Experimentis instituendis et *exercitiis* praeerit C. H. D. BUIJS BALLOT, diebus Iovis et Saturni, et aliis diebus postea indicandis.

Geometriam analyticam explicabit C. H. D. BUIJS BALLOT, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora IX, ad librum Briot et Bousquet.

Astronomiam popularem exponet M. HOEK, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX.

Astronomiam theoreticam tradet M. HOEK, diebus Mercurii et Iovis, hora X.

Astronomiam practicam tradet M. HOEK, diebus Veneris, horis X et XI.

Physicam mathematicam tradet C. H. C. GRINWIS, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora XI.

Elementa Matheseos docebit C. H. C. GRINWIS, diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora VIII.

Stereometriam et Trigonometriam sphaericam docebit C. H. C. GRINWIS post ferias hiemales, diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora VIII.

Calculi integralis capita selecta tradet C. H. C. GRINWIS, diebus Martis et Iovis, hora XI.

Chemiam anorganicam docebit P. I. VAN KERCKHOFF, diebus Lunae et Martis, hora I, et die Mercurii, horis XII et I.

Chemiam organicam exponet P. I. VAN KERCKHOFF, die Iovis, hora I, et die Veneris, horis XII et I.

Chemiam practicam docebit et *Exercitia analytica in laboratorio* moderabitur P. I. VAN KERCKHOFF quotidie.

Colloquia Chemica habebit P. I. VAN KERCKHOFF, horis postea indicandis.

Chemiam Syntheticam docebit E. MULDER, diebus Mercurii et Iovis, hora X.

Chemiam pharmaceuticam docebit E. MULDER, diebus Lunae, Martis et Veneris, hora IX.

Toxicologiam docebit E. MULDER, die Saturni, hora IX.

Experimenta in Chemia quotidie moderabitur E. MULDER.

Morphologiam plantarum et *naturalium familiarum historiam* tradet N. G. P. RAUWENHOFF, diebus Lunae, horis X et II, Martis et Mercurii, hora X.

Anatomen et physiologiam plantarum docebit N. G. P. RAUWENHOFF, diebus Mercurii, hora II, Iovis, hora X.

Plantas officinales exponet N. G. P. RAUWENHOFF, die Martis, hora IX.

Selecta Botanices capita cum Candidatis tractabit N. G. P. RAUWENHOFF; horis postea indicandis.

Exercitationibus phytotomicis et *microscopicis* quotidie praeerit N. G. P. RAUWENHOFF.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

I. A. C. ROVERS, ob aetatem septuagenariam rude donatus, quantum per vires licebit, Literarum Humaniorum studiosis prodesse conabitur.

Logicam docebit C. G. OPZOOMER, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora II, ad librum suum, cui titulus: *het wezen der kennis*, iterum editum Amstelodami a bibliopola I. H. Gebhard, anno 1867.

Metaphysicam docebit C. G. OPZOOMER, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora I.

Historiam Philosophiae explicabit C. G. OPZOOMER, horis auditoribus commodis.

Rationem Linguae Patriae et *Literarum Patriarum* tradet G. G. BRILL, die Lunae, hora I, die Martis, hora II, die Saturni, hora XI.

Historiam Patriae enarrabit G. G. BRILL, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora X.

Lectiones de Literis Graecis habebit H. VAN HERWERDEN, die Lunae, hora XII, die Mercurii, hora II, die Veneris, hora XI, interpretaturus *Herodoti partem, Platonis Protagoram et excerpta e poetis Graecis* a se edita apud Kemink et fil. 1873.

Literas Latinas docebit H. VAN HERWERDEN, die Lunae, hora XI, die Mercurii, hora I, die Iovis, hora X, legendo *Ciceronis orationem pro Milone et locos selectos e Catullo, Tibullo atque Propertio* (ed. Luc. Muelleri ap. Teubnerum).

Antiquitates Graecas tradet, et *privatim* provectiores discipulos Literarum studiosos docebit H. VAN HERWERDEN, horis sibi illisque commodis.

Literas Hebraicas docebit P. DE JONG, tum Grammatica explicanda, tum II libro Samuelis inde a Cap. XII legendo, die Martis, hora XII, die Iovis et Veneris, hora I.

Literas Chaldaicas docebit P. DE JONG, die Mercurii, hora XII.

Literas Syriacas docebit P. DE JONG, die Veneris, hora XII.

Antiquitates Israëlitarum explicabit P. DE JONG, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora IX.

Locos selectos Scriptorum Arabicorum cum provectioribus leget P. DE JONG, die Iovis, hora VI.

Antiquitates Romanas exponet I. A. WIJNNE, diebus Martis et Mercurii, hora IX, die Iovis, hora X, die Veneris, hora IX.

Historiam Gentium enarrabit I. A. WIJNNE, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora XI, die Veneris, hora X.

IN FACULTATE MEDICA.

Pharmacognosin et naturalem medicaminum historiam cum eorum virtutibus et usu docebit G. I. LONCQ, die Lunae, hora III dimidiata, diebus Mercurii et Veneris, hora IX.

Pathologiam et *Therapiam specialem* tradet G. I. LONCQ, diebus Martis et Iovis, hora X, die Veneris, hora VII vespertina.

Exercitationes clinicas in arte medica quotidie moderabitur G. I. LONCQ, hora XI, in Nosocomio Academico.

Policlinico medico praeerit G. I. LONCQ, alternis diebus.

Physiologiam docebit F. C. DONDERS, diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, hora X.

Experimentis et *indagationibus physiologicis* et *microscopicis* in Laboratorio physiologico quotidie praeerunt F. C. DONDERS et TH. W. ENGELMANN.

In Nosocomio ophthalmologico lectiones ophthalmologicas, cum *exercitationibus clinicis*, habebit F. C. DONDERS, diebus Martis et Iovis, hora III.

Theoriam artis chirurgicae tradet L. C. VAN GOUDOEVER, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora VIII.

Exercitationes policlinicas in arte chirurgica diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora IX, *clinicas* quotidie moderabitur L. C. VAN GOUDOEVER, in Nosocomio Academico.

Operationibus chirurgicis, in cadavere instituendis, qualibet oblata occasione, praeerit L. C. VAN GOUDOEVER.

Deligandi exercitationes moderabitur L. C. VAN GOUDOEVER, die Saturni, hora VIII.

Operandi methodos exponet L. C. VAN GOUDOEVER, diebus Martis et Iovis, hora VIII.

Anatomen pathologicam docebit diebus Lunae et Veneris, hora II, die Saturni, hora I; indagationibus pathologicis et cadaverum sectionibus in laboratorio pathologico nosocomii quotidie praeerit G. KOSTER.

Pathologiam generalem docebit G. KOSTER, die Lunae, hora I, die Mercurii, hora X—XII.

Medicinam politicam et *forensem* exponet G. KOSTER, diebus Martis et Iovis, hora II.

Exercitationes anatomicas practicas quotidie moderabitur hiberno tempore G. KOSTER, una cum viro doct. G. H. VAN DER HEIJDEN, in laboratorio anatomico adiutore.

Exercitationes clinicas in gynaecologia moderabitur T. HALBERTSMA, diebus Lunae et Mercurii, hora I.

Capita selecta gynaecologiae, tradet T. HALBERTSMA, die Martis, hora I.

Doctrinam operationum tradet et *operationibus obstetriciis in pelvi factitia et in cadavere instituendis*, praeerit T. HALBERTSMA, diebus Iovis et Veneris, hora I.

Policlinico gynaecologico praeerit T. HALBERTSMA, die Saturni, hora I.

Praxin obstetriciam in Nosocomio academiae et *in policlinico obstetricio* moderabitur T. HALBERTSMA.

Histiologiam et physiologiam generalem exponet TH. W. ENGELMANN, diebus Martis et Iovis, hora I.

Diaeteticam tradet TH. W. ENGELMANN, diebus Martis et Iovis, hora II.

Doctrinam de circulatione et respiratione exponet TH. W. ENGELMANN, die Saturni, hora X—XII.

Artem diagnosticam physicam tradet P. Q. BRONDGEEST, Medicinae Lector, die Martis, hora VI, die Mercurii, hora II, die Veneris, hora VIII.

Artis diagnosticae propaedeutica exponet P. Q. BRONDGEEST, diebus Mercurii et Veneris, hora I.

I. P. T. VAN DER LITH, in Nosocomio psychiatrico medicus primarius, Professoris titulo ornatus, exercitationes clinicas psychiatricas moderabitur horis postea indicandis.

Iovis, hora IX, die Veneris, hora XI, die Saturni, hora IX.

Anatomen, tum *systematicam,* tum *topographicam* docebit G. H. V. D. HEIJDEN, Med. Doctor, in laboratorio anatomico adiutor, diebus Lunae, Martis et Iovis, hora IX, die Veneris, hora XI.

I. H. HISGEN, Literarum Germanicarum Lector, diebus et horis postea indicandis, *selecta quaedam praecipuorum scriptorum opera* interpretabitur, *Literarum Germanicarum historiam*, imprimis inde a saeculo XVIII, exponet.

M. A. E. ROBERTI, Literarum Francicarum Lector, *praecipuorum scriptorum saeculi XVII selecta opera* enarrabit, *Literarum Francicarum historiam* saeculorum XVII et XVIII tractabit, diebus et horis postea indicandis.

I. S. ROBINSON, Literarum Anglicarum Lector, diebus et horis postea indicandis, *Shaksperii selecta* interpretabitur *opera*, et *Literarum Anglicarum* exponet *historiam*, imprimis XVI saeculi.

Bibliotheca Academica diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, Veneris et Saturni ab hora XI ad IV, feriarum autem tempore iisdem diebus ab hora I ad III unicuique patebit. Musea Academica, nec non Hortus Academicus quotidie patebunt.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

DIE XXXI M. DECEMBRIS A. CIƆIƆCCCLXXIII.

In Facultate	Theologica	. . . .	187.
〃	〃 Iuridica	. . . .	138.
〃	〃 Math. et Phys. Nat.	. . . . . .	44.
〃	〃 Phil. Theor. et Lit. Hum.	. .	29.
〃	〃 Medica	. . . .	87.
			485.

Praeterea in Album Academicum nomina eorum, qui studiis vacant in Athenaeis, eo fine relata sunt, ut hic progressus publice probent et Doctores creentur, quorum

In Facultate	Theologica	. . . .	6.
〃	〃 Iuridica	. . . .	3.
〃	〃 Math. et Phys. Nat.	. . . . . .	—
〃	〃 Phil. Theor. et Lit. Hum.	. . .	2.
〃	〃 Medica	. . . .	11.
			22.

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

A D. XXVI M. MARTII A. CIƆIƆCCCLXXIII AD D. XXVI M. MARTII A. CIƆIƆCCCLXXIV.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

D. 16 Octobris 1873. HENRICUS SMEDING, Leovardiensis, publice defenso specimine, cui titulus: *Paulinische gewetensleer*, Theologiae Doctor, *magna cum laude.*

IN FACULTATE IURIDICA.

D. 5 Maii 1873. WYTZE GORTER, Snecanus, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 23 Maii. OWEN MAURITIUS BLANCKENHAGEN, Indo-Batavus, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

Eodem die. THEODORUS RUYS I. P. fil., Campensis, privatim defenso specimine, cui titulus: *De Gezworene Gemeente in Overijssel en Gelderland, naar aanleiding van art.* 131 *Gemeentewet Historisch toegelicht*, Iur Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 27 Iunii. CHARLES SAMUELS, Indo-Batavus, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

Eodem die. LEONARDUS SCHORER, e pago Koudekerke, Zelandus, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 30 Iunii. CORNELIUS HENRICUS VAN TIENHOVEN, e pago de Werken, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 23 Septembris. LEONARDUS HENRICUS RUYSSENAERS, Alexandrinus, privatim defenso specimine, cui titulus: *Historisch Juridische proeve over de onlangs ontworpen regterlijke inrigting in Egypte*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 27 Septembris. CORNELIUS VAN BOOVEN, e pago Giessen-Nieuwkerk, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 4 Octobris. NICOLAUS FREDERICUS VAN NOOTEN, Rheno-Traiectinus, privatim defenso specimine, cui titulus: *De gemeenschap van vruchten en inkomsten*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 24 Octobris. IOHANNES LUDOVICUS STERN, e pago Beek, Gelrus, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 25 Octobris. GERARDUS STEPHANUS VAN DELDEN, Daventriensis, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 28 Novembris. CORNELIUS PYNACKER HORDYK, e pago Wadenoyen, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 3 Decembris. GERARDUS WTTEWAALL, e pago Voorst, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 9 Decembris. IOANNES CHRISTOPHORUS FOCKE, Amstelodamensis, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. CAROLUS ANTONIUS GODIN DE BEAUFORT, Rheno-Traiectinus, privatim defenso specimine, cui titulus: *Proeve over de strafrechtelijke verantwoordelijkheid der Ministers in de Constitutionele Monarchie*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 19 Decembris. IACOBUS HENRICUS UITERWIJK, Zwollanus, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

Eodem die. EMILE VILETTE KLEYN VAN DE POLL, ex urbe Samarang, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 20 Decembris. PETRUS FRANCISCUS BESIER, Daventriensis, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 3 Februarii 1874. GUILIELMUS VAN BINSBERGEN, e pago Hoogland, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

Eodem die. IJSBRANDUS DE KOCK, Rheno-Traiectinus, privatim defenso specimine, cui titulus: *Iets over de poging tot minnelijke schikking (art. 19 W. v. B. Rv.)*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 20 Februarii. Theodorus helenus franciscus van riemsdyk, Mosa-Traiectinus, privatim defenso specimine, cui titulus: *De Hooge Bank van het Veluwsche Landgericht te Engelanderholt*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude*.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

D. 13 Maii 1873. Diderichus adrianus kerkhoff, e pago Werkendam, privatim defenso specimine, cui titulus: *Over specifieke warmte*, Math. Magister, Phil. Nat. Doctor, *cum laude*.

D. 14 Iunii. Eduardus henricus wynkes, Zwollanus, privatim defenso specimine, cui titulus: *Proeven met den thermo-analysator*, Math. Magister, Phil. Nat. Doctor.

D. 30 Iunii. Iohannes marinus hiebendaal, Sylva-Ducensis, privatim defenso specimine, cui titulus: *Onderzoek over eenige absorptie-spectra*, Math. Magister, Phil. Nat. Doctor, *magna cum laude*.

D. 5 Iulii. Iacobus ludovicus herten, ex urbe Roermond, privatim defenso specimine, cui titulus: *Over amidomierenzuur*, Math. Magister, Phil. Nat. Doctor, *magna cum laude*.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

D. 17 Maii 1873. Andreas scholte, e pago Druten, privatim defenso specimine, cui titulus: *Dissertatio Literaria continens Observationes criticas in Saturas D. Iunii Iuvenalis*, Phil. Theor. Magister, Lit. Hum. Doctor, *magna cum laude*.

D. 14 Iunii. Nicolaus henricus iustus koker, e pago Broek in Waterland, privatim defenso specimine literarum inaugurale exhibens: *de Lucio Valerio Aureliano, disquisitionem Historicam*, Phil. Theor Magister, Lit. Hum. Doctor.

IN FACULTATE MEDICA.

D. 28 Aprilis 1873. IACOBUS IANUS GUILIELMUS ENGELBERTUS VAN RIEMSDIJK, ex urbe Gorinchem, privatim defenso specimine, cui titulus: *Leverettering in de tropische gewesten*, Medicinae Doctor, *cum laude*.

D. 13 Maii. REGNERUS TJAARDA BUNING, e pago Wildervank, privatim defensis thesibus, Chirurgiae Doctor, *cum laude*.

D. 3 Iunii. IOHANNES ANDREAS VAN DER STOK, e pago Zuilen, privatim defenso specimine, cui titulus: *Physiologische onderzoekingen omtrent de werking van Papaverine, Codeïne en Narceïne*, Medicinae Doctor, *cum laude*.

Eodem die. IACOBUS CHRISTIANUS VAN DOOREMAAL, ex urbe Breda, privatim defenso specimine, cui titulus: *Over de gevolgen van het invoeren van levende weefsels en doode voorwerpen in het oog*, Medicinae Doctor, *cum laude*.

D. 21 Iunii. CHRISTIANUS STEKETEE, e pago Nieuwedorp, Zelandus, privatim defenso specimine, cui titulus: *Iets over Nitris Amyli*, Medicinae Doctor, *cum laude*.

D. 5 Iulii. ANDREAS SLEESWIJK, Amstelodamensis, privatim defenso specimine, cui titulus: *Over de stoornissen gedurende de baring, waargenomen op de verloskundige kliniek te Amsterdam gedurende het jaar* 1871, Medicinae Doctor, *cum laude*.

D. 22 Octobris. GUILIELMUS LEOPOLDUS LEHMANN, Amstelodamensis, privatim defenso specimine, cui titulus: *Het arsenigzuur als geneesmiddel bij diabetes mellitus*, Medicinae Doctor, *magna cum laude*.

D. 12 Decembris. STEPHANUS PETRUS VAN WEEZEL, e pago Maasbommel: *Over de behandeling van amaurosen en amblyopiën met strychnine*, Medicinae Doctor.

D. 6 Martii 1874. EDUARDUS MAXIMILIANUS FERDINANDUS WIERCX VAN RHIJN, Mosa-Traiectinus, privatim defenso specimine, cui titulus: *Iets over huidtransplantatie*, Medicinae Doctor.

D. 21 Martii. GERBEN YNZONIDES, e pago Welsryp, Frisius, privatim defenso specimine, cui titulus: *Bijdrage tot de geschiedenis der sectio caesarea in Nederland*, Medicinae Doctor, *cum laude*.

ACADEMIA

GRONINGANA.

NOMINA PROFESSORUM,

QUI

INDE A D. X OCTOBRIS CIƆIƆCCCLXXIII AD D. IX OCTOBRIS CIƆIƆCCCLXXIV

IN ACADEMIA GRONINGANA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

CORNELIUS MARINUS FRANCKEN,

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

EVERARDUS IANUS DIEST LORGION.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM.

I. I. P. VALETON.
G. HECKER.
C. M. FRANCKEN.
B. H. C. K. VAN DER WIJCK.
H. E. MOLTZER.

IN FACULTATE IURIDICA.

I. H. PHILIPSE (rude donatus).
B. I. GRATAMA.
G. DIEPHUIS.
B. D. H. TELLEGEN.
W. MODDERMAN.

IN FACULTATE MEDICA.

I. H. IANSEN.
G. M. H. SÄNGER.
D. HUIZINGA.
H. G. MIDDENDORP.
H. A. KOOYKER.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

H. C. VAN HALL, rude donatus (defunctus 12 Ian. 1874).
G. A. ENSCHEDÉ.
R. A. MEES.
R. S. TJADEN MODDERMAN.
P. DE BOER.
H. I. VAN ANKUM.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

P. HOFSTEDE DE GROOT (rude donatus).
E. I. DIEST LORGION.
D. CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE (defunctus 14 Febr. 1874).
F. G. B. VAN BELL.
G. H. LAMERS.

ORATIO

DE

CIVITATE ATHENIENSI POETICES PATRONA,

QUAM

D. VIII M. OCTOBRIS, A. CIƆIƆCCCLXXIV,

CUM RECTORIS ACAD. GRONINGANAE MUNUS DEPONERET,

HABUIT

C. M. FRANCKEN.

ADDITA EST BREVIS NARRATIO EORUM, QUAE ACADEMIAE PER ANNUM CIƆIƆCCCLXXIII—CIƆIƆCCCLXXIV PROSPERA ET ADVERSA EVENERUNT.

ACADEMIAE GRONINGANAE CURATORES, PROFESSORES, CIVES! QUOTQUOT AD HAEC SOLLEMNIA CELEBRANDA CONVENISTIS, AUDITORES HUMANISSIMI!

Quod ab antiquo inde tempore probatum est et multorum vocibus repetitum, "omnes artes habere commune vinculum et cognatione quadam inter se contineri," id nostra aetate novum aliquod momentum accepit. Nam cum in iis disciplinis, quae in natura rerum versantur totae, via et ratio investigandi obtineat a reliquis admodum diversa, nunc in eo elaboratur, ut eadem evidentia demonstrandi, qua illae excellunt, cum ad gentium historiam adhibeatur, tum ad eam partem, quae vulgo vocabulo minus Latino, at satis apto ad id, quod volumus, historia litteraria dicitur. Explosa est enim illa sententia, quam olim ferventioris animi admiratores praedicabant, cum dicerent, excellentia hominum ingenia, poetarum praecipue, omnibus legibus esse exemta, poetas non fieri sed nasci, et singulorum artificum praestantiam vix satis percipi, nedum explicari et quasi in elementa quaedam solvi posse. Sane cuiusque poetae quaeque proprietas unde orta sit docere et quasi digito monstrare nec conamur nec possumus. Factorum enim et voluntatum causas et momenta, quibus simul agentibus quaeque exsistant, a se separare et singula quid valeant considerare nec potest historia litteraria, nec ulla disciplina, quae homines, quatenus sentiunt et agunt, sibi tractandos sumit; in quibus tam immensa est varietas voluntatum, causae factorum tam multiplices subinde et temporis spatio remotae, ut insipientis sit profiteri, se omnes extricare et ex obscuritate in lucem revocare posse, et quantum quaeque valuerit certa trutina ponderare. Attamen singuli poetae et scriptores quid temporibus

debeant, diligenter exponi saepe potest et debet, et genera poesis, eloquentiae, historiographiae quibus opportunitatibus exstiterint atque adeo necessario prodierint, demonstrare non reformidat historia litterarum. Scilicet in proventu et successione poetarum et scriptorum nemo non intellegit leges quasdam observari; magnam vim exsistere civitatis, in qua quis natus educatusque sit, et antiquiorum scriptorum auctoritat m multum posse ad stili quandam proprietatem fingendam atque stabiliendam. Ad haec autem duo momenta, civium volo consuetudinem et scriptorum vetustorum imitationem, tertium accedit, quod plerisque suspectum est, potentiorum tutela atque praesidium. Nam vulgo quidem nunc sic ratiocinantur, nihil magis obesse poetae, ne iam de oratore dicam, quam si eius ars cogatur ea via incedere, quam alius, invita saepe Minerva, praeeat, aut inservire consilio aliunde petito, non ex ipsa artis natura sponte nato; sibi sufficere poesin, nec alieno fulcro indigere; adeo omnem poetae intentionem poscere poesin, ut, si praeter pulcrum aliud consectetur, necessario in conatu deficiat; si ars alienis desideriis satisfacere velit, ex hoc ancillari officio nihil plane egregium prodire; quod si vel maxime praemia et honores aliquos excitent, tamen iniqua vulgo laudum dispensatione reliquos deterreri, unde fieri, ut novi poetae, quibus sua sequi vestigia gloriosum videatur, omnino exsistant nulli. Languescit, inquiunt, et paucis fere aetatibus exstinguitur poesis pectoris fervore incitata; probatur ludibrio iudicis una certa forma et τύπος, cuius si forte satietas oritur, torpent ingenia ad nova probanda et percipienda; inde facultatem poeticam consenescere censent, sin minus, sopitam aliquamdiu somno, multis demum annis aut aetatibus post excitari ex veterno mortis simili; ita factum esse post Augustum, Leonem X, Ludovicum XIV [1]). Quae si ita sint, mirari tamen subit, quod is populus, quo ad artem colendam nullus unquam aptior fuit, Graecos dico, florentissima aetate poesin publica auctoritate colendam et commendandam putavit. Cum enim mos certandi de praemio antiquitus ad musicam esset adhibitus, Athenae id institutum sic tenuerunt, ut non tantum praemia exponerent optimis poetis, sed etiam publico sumtu dramata edentes excluderent eos, quos unus aliquis magistratus

[1]) Buckle, I. p. 510.

illo praesidio indignos iudicasset, contra impense laudarent, quos aliquot de populo patres familias probassent. Et tamen apud omnes constat, nullam unquam civitatem maiorem intra exiguum temporis spatium numerum excellentium dramaticorum protulisse. Aut id falsum est, aut praesidium publicum aliter quam vulgo comparatum fuit, et quae in universum de tutela civitatis dicuntur, minus recte se habere videantur. Operae pretium est hanc rem paulo accuratius persequi. Dicam igitur *de civitate Atheniensi poetices patrona.*

Mira ac paene singularis est illa civitas Atheniensis. Nonaginta milia civium, ex quibus armis gerendis pares non amplius viginti milia imperium extendunt in remotissimas oras insulasque maris Aegaei, a Propontide usque ad Cretam. Sed id imperium obsequio, non armis partum, non exercitibus in singulis urbibus retinetur, sed studiis sociorum, qui principatum Athenarum tam sibi honestum quam Graeciae salutare iudicant. Itaque iugum mollire et quasi dissimulare, artis voluptatisque illecebris et festorum celebritate trahere ad se et devincire animos solebat Athenarum civitas, ut ipsius amicitia tanquam primae inter pares gloriarentur quicunque societatis vinculo coniuncti essent. Tributa sociorum partim insumta ad splendorem urbis, ut *Ἑλλάδος μουσεῖον, germana Graecia* (*Ἑλλὰς τῆς Ἑλλάδος*), *focus et curia Graeciae* [1]) esset; statuae, pompae, templa magnifica allicere debebant et delectare oculos hospitum et civium. Inde privata tenuia, publica magnifica erant, ut vere praedicare potuerit Pericles: *φιλοκαλοῦμεν μετ' εὐτελείας* [2]); nam florentissima aetate non rapere solebant privati publica nec sociorem opes ad se trahere, sed id universi potius studere ut, etiam cum impensa sociorum, splendorem publicorum sollemnium nihil aequaret. Tali in civitate ars necessario primarium locum obtinet; non ea tantum est oblectamentum vitae sed simul imperii instrumentum. Porro ea poesis, quae magno hominum coetui accommodata est, poesis chorica, maxime grata erit et accepta, praesertim si, ut Athenis, domestica consuetudo hominum minus frequens est, sed de publico et in publico vivitur. Itaque si recedimus ab Homeri

---

1) Athen. IV. 187. D. 2) Thuc. II. 40.

recitatione iam a Solone aut Hipparcho praescripta, nullam nec epicae poesis nec lyricae Aeolicae curam publice habitam offendimus. Sed choreae cantusque vigebant; poesis Dorica novam induit formam et propria dialecto ex parte retenta excrevit in tragoediam, quae quicquid egregium superior aetas viderat in se recepit, dum nihilo minus chori dithyrambici in Dionysi festis vetusto more obibantur. Verno tempore in Dionysiis maioribus, quae maxima erat celebritas, urbs referta erat hospitibus; veniebant socii ex foederatis civitatibus tributa offerentes. Tum igitur per septem dies ludi celebrati, in quibus cum publico hospitio exciperentur socii, civitatis magnopere intererat ut delectatio esset urbe et Graecia digna. Quae postea in socios exercuerint Athenienses nunc memorare nihil attinet, sed volebant quidem ab initio non minis bellicis sed pacis artibus imperare, non tam corpora subiicere quam animos devincire. Itaque diligenter civitas festorum curam habuit, maximo cum splendore celebratis agonibus cyclicis, comicis, tragicis.

Ita videmus civitatem tam propter socios, quam propter cives patrocinium suscepisse artis dramaticae. Praescribebat et auctoritate sua sanciebat quaecunque ad dramaticum agonem pertinebant. Ea autem semel constituta non ita facile mutationem patiebantur.

A pueris paene audivimus morem et consuetudinem dramatis Attici, et cum ea aetate non sentiremus, quam libertatem poesis postulet, non mirati sumus illam certam legem normamque poesis dramaticae; at reputate, quaeso, A. A. quam licenter singula instituta videantur, et rursus quam mira tenacitate, semel inducta, retenta. Tragoedia Graeca chori cantus habuit semper, quibus in partes quasdam distribuitur; quaeras num in omni argumento chori cantus aptus sit; tres sunt, numquam plures histriones, numquam amplius quindecim choreutae; rursus mirari subit, quae sit necessitas horum numerorum; pleraque nuntiantur, non in scena aguntur, nec „coram populo pueros Medea trucidat," — ne animi efferentur spectatorum, inquiunt; audio, sed Antigone fratrem non palam sepelit, non Iphigeniam in scena abducit Orestes, non Creontem vincit Theseus coram spectatoribus, quae tamen erant nec horrenda nec atrocia; angusta semper fuit scena, lata orchestrae spatia; in media orchestra ara quaedam posita; agunt non mulieres sed viri tantum. Haec omnia facilius est

explicare unde nata sint, quam cur retenta semper. Nam si quis contendat, haec ex tragicae artis natura sua sponte profluere, is ad lucem recentiorum temporum caecutiat. Nec inventione adeo caruisse censendi sunt veteres, ut istas pusillas partim res mutare non possent; quantulum erat cum proprietatem tragoediae, rem maxime arduam, perspexissent, haec minora, quae quasi accessoria sunt, emendare. Nec vereor ne quis dicat Athenienses semper ita fuisse vetustatis studiosos, ut ab omni novatione abhorrerent, cum Protei potius naturam plerisque referre videantur. Illud verius, cultus sanctitatem obstitisse mutationibus; nam Dionysia minora et maiora et Lenaea, quibus solis dramata agebantur, sacri dies erant; est igitur hoc aliquid, neque tamen in eo sunt omnia; nam cum a remotissimis inde temporibus eadem fuerit horum ludorum sanctitas, multa tamen olim mutata fuerunt. Rem diligentius perpendentes inveniemus certaminis illius, quod inter poetas publice institutum sit, legem atque ordinem magna ex parte prohibuisse, quo minus quicquam mutaretur.

Fuit haec sane sententia hominum vetustorum, ut diis non tantum pretiosa offerre, sed pulcra etiam ostendere vellent; debebatur hoc pietati, ut deos exhilararent spectaculis humanae dexteritatis, roboris, venustatis; his deos *ἀνθρωπομόρφους* delectari non minus quam homines putabant. Inde pompae puerorum et puellarum in festis, victimarum nulla labe infectarum consecrationes, templorum decora, in maxima Graeciae celebritate Olympica et Pythica athletarum et aurigarum et musicorum artificia. Quod si plures prodeunt divini favoris aemuli, in certamen descenditur, victor a deo ipso sacra corona probatur, ipse vicissim artem suam deo dedicaturus currum vel alia utensilia victoriae deo offert. Horum certaminum sacrorum exempla sunt infinita, partim etiam ludicra: *ἀσκώλια*, *λαμπάς*, *ὁπλιτοδρόμοι* [1]). Itaque Athenis quoque in Dionysiis aemuli in arenam descenderunt. Sed multa in hac antiquissimi dramatis historia viginti saeculorum nocte obducta sunt et semper manebunt incerta; attamen tantum apparere videtur, agones ab initio a choris dithyrambicis abfuisse neque adscendere ad tragicae artis incunabula; nam Lasus, qui fuit Hipparchi et Aeschyli aequalis, primus dicitur agones dithyrambicos instituisse, Thespis sine

---

1) Ar. Ach. 1002, Herm. II § 57. 11, 30. 29, 32.

aemulo fabulas docuisse [1]); et ferventibus demum plurium tragicorum studiis, Choerili, Pratinae, Phrynichi, Aeschyli, contentionem de principatu institutam esse par est. Quod si coniectura conceditur, Phrynichus, vix una aetate post Thespidem qui fuit, primus aemulos in certamen provocavit [2]). Ceterum cura civitatis tum aut nulla fuit aut exigua admodum; nam Pratinam novimus hoc tempore dramata satyrica primum instituisse; cuius rei tenuis, sed tamen satis clara memoria ad nos propagata est. Satisfecit enim desideriis populi aegre ferentis, fatis Dionysi magis magisque omissis, aliquid honori dei detrahi; licebat ergo aliquid novare quod ad summam religionem pertinebat; et sedavit vulgi iram non iussum civitatis, sed novum poetae inventnm, quod hercle lex indagare et praescribere non potuit. Tantum utique apparet poetas non nimis constrictos fuisse; cum simplex apparatus ludorum satisfaceret, multa poterant arbitrio poetarum permitti. At cum magnificentiam ludorum, internis discordiis post Clisthenem sedatis, auctam esse credibile sit, eodemque tempore apparatam scenicum et ambitum fabularum augeret Aeschylus, singula publice diligenter sunt ordinata. Tum igitur constitutum ut, si qui tragoedias suas agi vellent, archontem adirent et chorum peterent; ut archon sorte indicaret tribum, quae cuique poetae necessarias impensas faceret, ipse magistrum chori et histriones et mercedes poetarum publico sumtu daret, denique ut fabulis optimis praemia a iudicibus adiudicarentur. Deinceps igitur certamen statum fuit et sollemne. Atque hoc illud est, quod multo magis quam sacrorum religio effecit ut tragoedia, si a paucis recedas, nacta sit illam stabilem formam, quam in Aeschyleis et Sophocleis admiramur, sed Euripidi aliisque obfuisse putamus, quo minus alas suas explicarent.

Ac primum quidem certamen id postulat, ut concertantes poetae ne nimis diversa in comparationem afferant, ut choregorum munia aequalia sint. Quid enim si alter aemulorum tres, alter unam fabulam offerat, ut prior splendere possit tribus choris, et vel hac una re adversario eiusque chorego palmam praeripere? Quid, si poetae divitis ingenii pauper aere choregus sorte indicatur? Omnibus choregis sit impositum officium trium

---

[1]) Plut. Sol. 29. [2]) Suid. l. i. l.

quatuorve chororum oportet, ut sciant poetae ad trilogias suas et tetralogias tribum, quam sors sibi indicet, necessaria suppeditaturam. Poetis quoque omnibus aut singulis aut ternis concertandum erit fabulis. Si historia per aliquot fabulas iunctas continuatur, longe aliud genus carminis exsistit quam si una concluditur, nec haec comparationem patiuntur. Finge tibi triadem, cuius una fabula sit egregia, duae reliquae pessimae, et huic opponas fabulam bonam, quae vitiis manifestis careat; num illam trilogiam, quae, si totum spectes, mala sit, praemio ornabis, quoniam pars eius melior sit quam opposita fabula, et vitiosam trilogiam probabis? An primas dabis adversario non eximio? At hic si duas fabulas addidisset, meliusne rem egisset? Notabisne vitia trilogiae, an mediocritatem fabulae singularis improbabis? Multa alia possunt cogitari. Opponas trilogiam et fabulam singularem, utramque egregiam, Oresteam Aeschyli et Sophoclis Antigonam. Num praevalebit Orestea quia longior sit? Sane ambigua virtus est.

At tota haec quaestio de trilogia et tetralogia diligentius consideranda est. De qua si recensere velim quae a viris doctis exposita sunt, modicum volumen expleam. In maxima de eius natura discrepantia tantum tamen constare debet, ab initio eam complexam esse fabulas argumenti perpetuitate nexas; nam si nullum argumenti vinculum fuisset, non potest causa cogitari, cur ternae una commissione unquam iunctae et uno praemio ornatae fuissent; nam nec festi religio, nec spectantium delectatio ternarium numerum postulabat. Sed videtur mihi unus aliquis poeta tantum valuisse, ut reliquos ad sui imitationem traheret, et illud, quod ipsius ingenio accommodatum esset, tres fabulas ut coniungeret, aliis commendaret. Est illa in historia litterarum constans lex, ut nova forma et species non vitalis sit sine illustri quodam exemplo. Et illa trilogia sive tripartita didascalia ita convenit cum ingenio et arte Aeschyli, ita ab eo exculta et perfecta est, ut ad hunc inventionis laus redire debeat, etsi fieri potest, ut ante illum duas tresve fabulas coniunxerit Phrynichus [1]), non ignobilis sane tragicus; sed nihil ille ad Aeschylum. At quemadmo-

[1]) Inter Phrynichi fabulas duae erant consimilis argumenti, Persae et Phoenissae, quarum alteram imitatus est Aeschylus. Pluribus haec persequitur Droysen, *Phrynichos, Aischylos und die Trilogie, Kil.* 1841.

dum Columbo Americae inventae laus manet integra, etiamsi quidam Islandiae incolae antea in Gronlandia pedem posuerunt, sic Aeschyli gloriae nihil detrahitur, etiamsi forte inferior aemulus duas fabulas aliquando coniunxerit, quo facilius gratiam iniret ab Atheniensibus et adversario palmam praeriperet. Sed de initiis et primis incrementis tragicae artis testimonia veterum tam exilia sunt, ut malim nunc ad naturam dramatis sensim exculti et perfecti digitum intendere, quam ad ambigua saepe verba grammaticorum provocare; ut enim ex cursu astrorum partim cognito, certis motus legibus observatis, reliqua spatia efficiuntur, sic ex notis incrementis artis ad superiora adscendere, et quadam cum probabilitate prima exordia divinare possumus.

Comparatis inter se tragicae artis monumentis, quae aetatem tulerunt, animadvertimus, quo fabula quaepiam sit antiquior, eo maiora cantica habere. In Aeschyli Supplicibus, ut hoc utar, cantica tertiam partem totius dramatis efficiunt, in Sophoclis fabulis ne decimam quidem. In Prometheo actio tragica paene nulla est, et adscita tantum videtur, ut chorus materiem canendi habeat, primaria persona suam animi sententiam aperiat. In antiquioribus praeterea fabulis cantica et colloquia, lyrica et dramatica, artissime inter se nexa sunt et iuncta, sed quo recentior est tragoedia aliqua, eo non tantum cantica restrictiora, sed etiam compages solutior, ut tragoedia sensim paulatimque melica ab se segreget et secernat, et quo antiquior, eo magis lyrica sit. Unde facile intellegitur, antiquiore tempore, ex quo nulla monumenta exstent, lyricum elementum in dramatibus regnasse, actionem fuisse paene nullam, dialogos contractiores. Iam vero cum actioni et colloquiis minor locus relinqueretur, si tamen historiam paulo longiorem oculis spectatorum subiicere placeret, unius fabulae ambitus non sufficiebat. Et Aeschylus quidem tantum aberat ut unum alicuius herois casum tractaret, ut totius subinde familiae fata per plures aetates continuata deinceps repraesentaret, cum tamen in singulis epicam copiam sequeretur. Sua dramata esse dixit *τεμάχη τῶν Ὁμήρου μεγάλων δείπνων* [1]), frustula ex magnis Homeri epulis sumta, significans suam artem ex epica poesi nexam et aptam esse. Nec habuit ex quo melius materiam

[1]) Athen. VIII. p. 347. C.

mutuaretur; sed cum argumento etiam tractandi rationem ab epicis monstratam non statim plane abiicere potuit; eadem cum copia in describendo et enarrando versatur, qua epici, quorum in ubertate narrationis eximia virtus est. Condensandi quasi et uno ductu totam historiam delineandi ratio, ut aliena ab epica poesi, sic consummatae est dramaticae artis, quae non est illius aetatis. Nondum actio vicaria est narrationis, nec poesis statim desinit esse diegematica; colloquia multa expositionem rerum habent, interrogatione et responsione contextam et a narratione diversam; crebrae longaeque nuntiorum ῥήσεις evidentia descriptionis colorem epicum habent; omnino plura describuntur quam monstrantur; et quomodo homines animati sint, ex orationibus potius ipsorum satis longis subinde, quam ex brevibus dictis vel factis cognoscitur; nullum consilium sine deliberatione capitur. Quod si iam reputaverimus lyricas quoque partes non exiguum spatium postulare, intellegemus Labdacidarum et Pelopidarum calamitates, per plures aetates continuatas, donec veteris cuiusdam daemonii ira expiata et veteris maculae infamia eluta esset, et alia his similia argumenta longe ambitum unius fabulae superasse. Itaque ternis fabulis totidem momenta complectitur Aeschylus tempore et loco inter se diversa; tria habet Orestea: scelus, poenam, expiationem, unum quodque satis ad ambitum dramatis amplum, nec secus Prometheis. Sic comparatum, sic tractatum argumentum non poterat una fabula contineri, sed maius spatium desiderabat.

Sed illud trilogiae institutum etsi pro tempore, quo inventum est, optima dramatum conformatio fuit, quoniam usibus poetarum et apparatui scenico plane satisfaciebat, non omni profectui nec cuivis aetati aptum est; tamen illud, tanquam perpetua et necessaria norma, publice in certaminis ordinem receptum est, nec receptum tantum sed retentum et conservatum, cum ipsi poetae, lyricis partibus iam magis restrictis, nihil eo indigerent. Quantum ex paucis testimoniis efficitur, tragici semper ternas in certamen detulerunt fabulas, quas trilogiam aut, addita quarta, satyrica, tetralogiam Alexandrini grammatici dixerunt, nec ulla exstat paulo plenior didascalia [1]), quae

[1]) Didascalia plena continet nomen archontis, festum, poetarum, qui certaverunt, nomina, fabulas, quibus certarunt, et quis cuique a iudicibus locus datus sit, denique, postea quidem, actores primarum; cf. Boeckh. ad C. I. I p. 350. In Lenaeis singulis tragoediis certatum esse

unam tragoediam praemio ornatam esse referat. Quod si forte fabula quaedam omnino placuisse narratur et praemio ornata esse, in eam sententiam accipiendum erit, ut fuerit una ex trilogia vel tetralogia, quae primas tulerit; ad eandemque normam, cum Agatho dicitur τῇ πρώτῃ τραγῳδίᾳ νικῆσαι [1]), non una tragoedia certasse putandus est, sed hanc fuisse primam ex omnibus tragoediis, quas composuerit, significatur. Diligenter quoties eventus certaminis tragici memoratur, semper trilogiae sunt et dramata satyrica [2]).

Iam necessitatem ternas fabulas in certamen deferendi subterfugere poetas non potuisse, apparet ex ratione fabularum, quae coniunctae vicisse dicuntur. Videmus enim conglutinatas et simul praemio ornatas tragoedias argumento diversas. At si optio data fuisset poetis, non in eam difficultatem iudices induxissent, ut de tribus simul sententiam ferrent, sed unam in censum dedissent. Finge tibi tres Goethii, tres Schilleri tragoedias tradi, ut iudices uter numerus ternarius utri praestet; recusabis, opinor, de tribus simul pronuntiare, sed optimam ex omnibus eliges et palma donabis, illam censuram deprecabere, qua, quae non cohaerent, tanquam unum opus considerare cogare. Tamen hoc factum esse Athenis, nemo adeo incredulus est, ut negare possit. Triginta fere annis post quam scenam Atticam Aeschylus arte sua illustraverat, vicit doctis Phineo et Glauco, tragoediis ex mythorum obscuritate depromptis et nobilissima Persarum fabula; Medeam ex Argonautarum cyclo, et Philoctetem ex rebus Troianis sumtam cum Danaës historia consociavit Euripides [3]), Oedipum, Lycaona, Bacchas Xenocles [4]); Helena Euripidea cum Andromeda acta est [5]); Iphigenia Aulidensis a filio Euripidis iuncta est cum Alcmaeone et Bacchis [6]). Tam discordia argumenta non in unam molem compegissent

---

coniectura est Boeckhii, Ind. Lect. Univ. Ber. 1841, Opusc. IV. p. 505, sqq. quae loco Platonis i. l. frustra defenditur. Euripides in Vita dicitur πρῶτον διδάξαι τὰς Πελιάδας; fabula prima ex trilogia fuisse videtur. Achaeus apud Suidam i. v. dicitur νικῆσαι ἓν (δρᾶμα), Aristarchus i. v. νικῆσαι δύο (δράματα). At in istiusmodi locis semper dubium est, num diligenter grammatici loquantur.

1) Plat. Symp. p. 173. A.

2) Cf. Clint. Fast. et Dindorfii Chron. Scen. ad Ol. 76. 4, 80. 2, 85. 2, 87. 1, 91. 1. Addatur didascalia ad Sept. ad Theb. in ed. Ddfii et alibi.

3) Arg. Med. 4) Ael. v. H. II. 8. 5) Schol. Ar. Thesm. 1012. 6) Schol. Ar. Ran. 67.

poetae, si res ipsorum arbitrii fuisset. At legi de certamine publico parebant, quam convellere non licebat, sed eatenus eludere, ut unam actionem pro argumenti et iam adultae artis postulatis intra fines unius fabulae continerent, nec trifariam dividerent, sed tres tragoedias darent argumento diversas. Et irrita fuere conamina virorum doctorum, ut unam fuisse sententiam in omnibus fabulis una commissione doctis persuaderent. Aut enim extrinsecus assumserunt ad fabulas perditas quae mera coniectura nituntur, aut talem constituerunt similitudinem sententiarum per singulas fabulas expressarum, quae in dissimillimo argumento possit exsistere, neque tamen unam fabulam ex tribus facere. Refragantur istiusmodi artificiis testimonia. Quae Welckerus, Schoellius, Hartungus in hanc partem excogitarunt, magis me iudice ipsorum probant ingenium quam veterum poetarum artem.

Reiicienda est sententia, ex verbis corruptis Suidae [1]) hausta, quae multum laboris interpretibus etiam doctissimis fecit, de commissione fabularum a Sophocle mutata. Nemo explicare poterat, quomodo unius poetae auctoritas ad subvertendam rationem certaminis publici suffecisset; credebatur auctore Suida primus Sophocles fabulam fabulae, non trilogiam trilogiae opposuisse. Sentiebant omnes difficultatem. Quid enim? Sophocles non tantum ipse legem violasset, sed aliis idem ut facerent persuasisset? quod ni fecisset, quomodo fabulam suam unam alterius uni fabulae opponere potuisset? Nec poetas tantum sed choregos etiam et iudices certaminis in suam traxisset sententiam. At ne poterat quidem tale quid efficere; nam si sub iudice lis est, non licet uni alterive adversariorum modum iudicii

---

[1]) V. Σοφοκλῆς:.. *προσηγορεύθη δὲ Μέλιττα διὰ τὸ γλυκύ. καὶ αὐτὸς ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ μὴ τετραλογίαν. καὶ ἔγραψεν Ἐλεγείαν καὶ Παιᾶνας καὶ λόγον καταλογάδην περὶ τοῦ χοροῦ πρὸς Θέσπιν καὶ Χοιρίλον ἀγωνιζόμενος.* Animadversum est a Dindorfio et Bergkio verba *πρὸς Θ. καὶ Χ. ἀγ.*, quae male cohaerent cum reliquis, propter temporis rationes non posse ad Sophoclem pertinere, sed apta esse Phrynicho; itaque haec cum superioribus *καὶ οὗτος* (sic) — *τετρ.* fortasse ad Phrynichum pertinere. Addo etiam illa *προσηγ.* — *γλυκύ* optime referri ad Phrynichum, quem propter dulces cantus Aristophanes, Ran. 748 apem dicit. Apparet locum perturbatum esse. De emendatione nihil definio, nisi quod haec sententia fuisse videtur: Phryn. initio fabulam fabulae opponebat, cum tetralogiis nondum certaretur (*καὶ οὗτος ἤρξατο δρ. πρ. δρ. ἀγ. ἀλλὰ μὴ τετρ.*). Ddf.: *ἦρξε τοῦ μὴ δρ. πρ. δρ. ἀγ. ἀλλὰ τετραλογίαν*, quae satis violenta est coniectura.

praescribere. Sed fingamus nihilo minus, auctoritate et gratia impetrasse eum, quod aliis negatum esset, credamus omnes ei se faciles praebuisse. Necessario inde secutum esset, ut deinceps poetae tripartitis didascaliis valedixissent. Cur enim, si Sophoclem singularibus vincere viderent, ipsi in tribus congerendis sudarent? Quod si quis eos fecisse credat, ut haberent triplo maiorem opportunitatem vincendi, non poterit explicare, unde postea in didascaliis non una, sed identidem tres fabulae communiter praemium reportasse dicantur. Atqui ita factum est; quo tempore Sophocles annum agebat octogesimum Xenoclem, eo anno, quo mortuus est, Euripidis filium certantes videmus ternis fabulis nulla argumenti perpetuitate nexis [1]. Ergo Suidam aut interpolatores eius rem suam sibi habere iubeamus; si critica divinatoria eius verbis laceris prius adhibita esset, multum esset laboris remissum viris ingeniosis, qui in eius sententia explicanda mire se torserunt.

Mansit sui similis tragoedia, si externam speciem spectes, usque ad mortem summorum tragicorum Sophoclis et Euripidis, quos uno anno fatum lugubre exstinxit; nam si recedimus a minutis quibusdam additamentis choreutarum et actorum, idem onus perpetuo impositum est choregis; at interna ratio tragoediae prorsus labefactata est et infracta; et quemadmodum aedificium dudum subrutum subito tandem ruinam dat, sic morte principum tragicorum tragoedia iacturam passa est, quam numquam reparavit. Factum est hic quod in sacris et sollemnibus saepe videmus, ut, cum homines externam speciem religiose observent, interim de propria et germana natura immutanda tanto sint securiores. Ut alumna Dionysi, tragoedia prope matura in custodiam civitatis transierat; nihil illa de comtu et ornatu amisit, sed interim alios mores mentemque sumsit. At aptius fuisset, si cum nova mente novum quoque habitum induisset; crediderim futurum fuisse, ut contracto trilogiae ambitu ex tribus fabulis tres facti essent actus unius dramatis; exstitisset una tragoedia, quae maiore casuum varietate animos tenuisset et loca et tempora diversa complexa esset. Sed tres tragoedias requirebat festorum celebritas et splendor, requirebat lex certaminis constituta; id choregi non recusabant, quoniam suis

---

[1]) Kayser, Hist. Crit. p. 92.

impensis se commendare civibus volebant; et tamen iuventus, quae bello Peloponnesiaco Athenis succreverat, aliud quid desiderabat, quam Aeschyli granditatem et Sophoclis dignitatem. His qui satisfacere posset exstitit Euripides.

Saepe disputatur in eam partem ut optimus quisque veterum simul cum absurdis narrationibus omnem fidem deorum abiecerit. In qua sententia aliquid sane veri inest, at tempora distinguenda sunt. Antiquior aetas, parum sollicita de mythorum veritate aut modeste dubitationem cohibens, sententiam supposuit popularibus figmentis homine liberaliter educato non indignam, recentior cuncta in dubitationem vocavit, religionem deorum cum superstitione funditus tollens. Ita oppositi sunt inter se Aeschylus et Euripides. Alter Iovis potestatem celebrat iis verbis, quae ab orientis sacerdotibus sumta dicas, alter Iovem subinde nihil aliud esse dicit quam „sublime candens." Ille divini numinis pius est defensor et interpres fidei receptae, hic perpetuus insectator cultus popularis, avide captans opportunitatem insultandi diis et absurda refellendi. Numquam non incusat Euripides hominum miseram sortem et fati acerbitatem; deos quovis genere fraudis illudentes miseris mortalibus; vix quicquam putat in hac vita optabile, aut, si vel maxime, nihil constans; omnia fluxa et caduca, multa incerta et dubia. Nulla in parte tragoediae haec fluctuatio, hic refractarius animus magis nocet venustati poeticae quam in choris.

Aristoteles et Horatius actoris partes choro vindicant. „Actoris partes „chorus officiumque virile defendat" (AP. 193). *Καὶ τὸν χορὸν δ' ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν.* Nempe „pars debet esse totius" (Arist. Poet. 18. 21) et sic cum actione cohaerere ut eo demto fabula non recto stet talo. Diligenter si loqui velimus, actio quae dicitur ab hoc aliena est, nisi forte nautas in Aiace dominum quaerentes, Furias in Eumenidibus Orestem insequentes excipiendas putemus; quamquam hi quod propositum non assequuntur, aliquid conantur, nihil agunt. Sed tamen apud Aeschylum et Sophoclem sic adhibitum chorum videmus, ut qui eum amovere velit, tragoediam ex tragoedia tollat. Ne enim iam dicam de iis fabulis Aeschyleis, in quibus ipsius chori fata primarium efficiunt argumentum, ubique ea nesessitudine chorus tangit primum actorem, tam

vehementer eius adversa fortuna movetur, ut optimus sit et disertissimus interpres affectionum, quae animos spectatorum suspensos tenent. Quis non moveatur placidis et benevolis senum Thebanorum verbis, dum ne in summa quidem calamitate et mortis minis quicquam remittunt ab amore regis, a cuius capite vel suo cum periculo cladem ex ulteriore investigatione sceleris commissi orituram avertere cupiunt? (OT. 685). Quis non Oceanides ad modestiam et obsequium erga deos contumacem Promethei animum moventes libenter audit? Quis non probat Aiacis et Neoptolemi militum generosum et sincerum animum et non intellegit mores quoque agentium personarum ab his declarari? Tanta arte ab Aeschylo chorica temperata sunt, ut dubites lyricaene an dramaticae partis fabulae sit maior laus. Apud Sophoclem, qui lyricum elementum arctioribus finibus circumscripsit, chorus tamen partes implet ingenio poetae et suae naturae accommodatas. Etenim chorus ipso numero ab agendo exclusus est, praeter quam iis temporibus, ubi gravi et inexspectata quadam re omnes communiter et uno impetu propelluntur. Mores autem eius oportet esse tales, quales esse in quindecim simul hominibus — tot enim choreutae sunt Sophocli — non improbabile sit; quae autem ingenia modulum vulgarem excedunt, rariora sunt, nec possunt coetui cuidam hominum adscribi. Si sint ministri et senes, habeant fidem et prudentiam, benevolentiam et misericordiam erga dominum dominamve, suadeant quae communis prudentia commendat, retineant a temerariis consiliis. Omnino quae choro Horatius adscribit (AP. 196—202):

Ille bonis faveatque et consilietur amice,
Et regat iratos et amet pacare tumentes;
Ille dapes laudet mensae brevis, ille salubrem
Iustitiam legesque et apertis otia portis;
Ille tegat commissa deosque precetur et oret,
Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis

ex numero ipso chori sequuntur; ut virtus una est, improbitatis innumerae formae, sic homines probi satis inter se similes, improbi perpetuo dissident; ne latronum quidem societas sine iustitia esse potest, nec chorus communiter agens sine virtute. *Σωφροσύνην* illam, placidam et inconcussam et sui compotem mentem, qua ipse Sophocles excellebat, chorus

eius ostendit; ordine plerumque inferior prudentiae principatum tenet, non nasutus quidam admonitor, sed moderationis auctor legisque humanae et divinae custos atque patronus, non se intempestive obtrudens, sed habitu ipso sui fiduciam iniiciens. In quot scopulos hoc loco incidere possit poeta, quisque videt; cavendum est ne aut moleste se ingerat chorus, aut otiosus adstet, et vulgarium praeceptorum tenuitas phantasiae ope commendanda est, neque rursus nimis grandibus est utendum verbis; omnino angusta est quaedam semita relicta, qua in chori tractatione recte incedat poeta, eamque secutus est Sophocles. Sed quicunque Sophoclem secuturus erat, telam quam detexeret nanciscebatur difficilem; Euripides quidem plane succubuit. Chorus Euripideus nec veritatem habet poeticam nec dignitatem; non tuetur partes iusti et benevoli monitoris, quem fata tangunt humana, nec tamen sollicitant atque offendunt, sed inutile additamentum est, quod quisque sentit adsumtum, quoniam usus receptus postularet. Cantica laxiore vinculo cum actione cohaerent; in diverbiis coryphaeus interpretis et quasi praeconis munere fungitur, qui nomina citat eorum, qui in scena comparent, aut sententias quasdam et querellas interponit, quas quivis de populo protulisset, nisi nimis fuissent insipidae et tritae. Chorus Euripideus plane est *ἀνηθοποίητος*, non placidus et temperans sibi, sed affectu plane destitutus et frigidus. Nec tamen hanc culpam poetae soli imputare oportet; mori recepto et certaminis legi obtemperare debebat, si sua carmina ad aequalium notitiam prodere cuperet. Quae chorus praestare poterat, omnia paene iam exhauserat Sophocles; Euripides Iliadem scribebat post Homerum. Alii item in conatu defecerunt; in quibus Agatho, optimus sane post triadem nobilissimam tragicus, insiticia et aliunde sumta cantica dramatibus adspersit [1]). Non est, inquam, vitium hominis sed instituti, quod cogebat poetas semel receptam formam perpetuo sequi. Non dicam Euripidem, si illam tragoediae partem omittere potuisset, perfecta dramata fuisse compositurum; illud video eum, quid choro ageret nescivisse, et cum illum omittere non posset, prohibitum esse, quominus formam carminum quaereret suo et aequalium ingenio accommodatam.

---

[1]) Arist. de poet. 18. 22.

Itaque dubitari non potest, quin tragicorum libertati a civitate frena sint iniecta, et trilogia et chorus diutius retenta sint, quam aut poetis gratum esset aut arti utile. Secus accidit in comoedia.

Nusquam maior libertas fuit poetis, quam Athenis de re publica aut sacra sententiam in medium proferendi. Integrum fuit iis doctrinas profiteri, quae civitati et moribus nocere possent videri. Tantum aberant a morum magisterio civitatis rectores. Et cum alibi ad confirmandum suum imperium auctoritate publica abutantur magistratus, ut nihil, quod quietum civitatis statum sollicitare possit, proferatur, Athenis nulla interdicta defendebant magistratus a ludibriis comicorum. Itaque publicum patrocinium tutos potius praestabat poetas, quam oris compescebat libertatem. A virulentia remisit quodammodo sub finem belli Peloponnesiaci Musa Aristophanea, dum potius crisin litterariam exercet, quam duces belli et demagogos risui spectatorum exponit, sed tamen laedere eos nominatim non reformidavit. Libera mansit irridendi potestas et tum et postea, qua si comici non largiter et effuse usi sunt, causa est quaerenda in argumento pro temporibus diverso, non in frenis eorum licentiae impositis. Petulantiam comoediae, nimia indulgentia efferatae, facile ipse Demus laesus ferebat; hic populus solus ex omni temporum memoria ingenio et arti *omnia* concessit. Et quemadmodum divites suos alunt *παρασίτους*, reges scurras et sanniones, sic Comoediam toleravit Demus Atticus, multa salsa in se quoque effutientem. Quod si quando libertas comicorum circumscripta est, in breve fuit tempus et mox vetus impunitas restituta est.

Per ea tempora, quibus Athenae Graeciae principatum tenuerunt, contra comicorum ludibrium bis leges latae sunt, sed hae non diu comicos coercuerunt. Scilicet populo nec Periclis amici nec Syracosius nescio quis pares erant. Interdictum est *τὸ κωμῳδεῖν ὀνομαστί*, quorum verborum vim infringunt ac debilitant viri docti, quorum consensum magni facio, sed non sequor [1]), dum interpretantur, cautum fuisse, ne quis quem nominatim *in scenam produceret;* quod si eo inducti fecerunt, quod paulo post leges illas latas tamen probra nominatim coniecta vident, valde equidem dubito an causa non sufficiat. Ut nihil Romae sumptuariae leges

1) Cf. instar omnium Clint. Fast. p. L—LII.

valuerunt, nihil censorum contra rhetores Latinos edictum, quae lata et statim violata sunt, sic Athenis in comicis coercendis leges vanas fuisse, ipsa natura democratiae Atheniensis probabile facit. Ita haec interdicta abhorrebant ab ingenio populi, suas delicias mire foventis, ut Periclis (at qualis viri!) auctoritas non amplius duos annos resistere populi desideriis potuerit, et Syracosii lex ne abrogata quidem unquam videatur, sed statim oblivionem passa. Quod si qui oratores aut choregi, Antimachus [1]), Archinus [2]), Agyrrhius [3]) mercede debita comicos spoliasse dicuntur, nihil hoc cum libertate comicorum circumscripta commune habet; ipsi poetae facile poenas repetebant, coram populo eos dicteriis suis proscindentes.

Similiter atque tragoedia, comoedia quoque publica lege erat ordinata, suumque habuit chorum, sed qui Bacchicae pompae externo habitu nihil retineret. Nec publici certaminis norma comicis unquam molesta fuit; nam neque plures simul fabulas iudicio civium submittere cogebantur, et, cum comoedia serius quam tragoedia publica cura esse coeperit, eo tempore, quo chorus obesse poetis potuit, in rei publicae calamitatibus sponte evanuit; nam quasi subiecta a Lacedaemoniis urbe dii tutelares suas sedes reliquissent, ita minore cum religione eorum festa publice procurata, nec acerbe exacta debita a choregis opera; cumque mox argumenta tractarentur, quae chori omissionem aut postularent aut paterentur, sensim paulatimque chorus obticuit. De quo qui conqueruntur, parum se dramatis illius politici, quod vulgo antiqua comoedia dicitur, naturam perspectam habere ostendunt. Potuit illa lascivire et insultare in lasciviente et potente civitate; poterat irridere principes eius viros, ipsam etiam perstringere et vellicare; sed quam primum attritae sunt civitatis vires, id quod antea fuerat animi intrepidi indicium, fuisset in patriam exprobratio tenuitatis et adversae fortunae. Accedebat quod languor quidam et inertia omnium animos finito bello occupaverat. Mordaces parabases primum omissae, non interdicto publico, sed quod minus erat ipsis poetis animi ad lacessendum et maledicendum. Mansit aliquamdiu chorus quamvis accisus. Nam quod quidam putant defuisse civibus opes ad choregias praestandas eoque chorum

1) Schol. Ach. 1150. 2) Schol. Ran. 367. 3) Schol. Eccl. 102.

sublatum esse, vereor ne inveteratam quandam opinionem nimis tenaciter defendant; nam neque ad tragoedias [1]) et veteris formae comoedias, quae non statim omissae sunt, chorus defuit, neque in media quae dicitur comoedia vestigia eius desunt [2]). Verius esse videtur, Cinesiam *τὸν χοροκτόνον* [3]) aliosque istius farinae homines chorum tollere et mordacitatem comoediae restringere conatos esse, neque tamen in illo conatu prospera fortuna usos esse. Nam etsi principes viri non amplius in scenam personati prodibant et a maledicendi intemperie et ferocia aliquantum remissum est, tamen a reprehendendis nominatim philosophis, regibus, oratoribus non abstinuerunt comici. Sed quicquid est, sive permiserit, sive iusserit civitas, chorus omissus est eo tempore, quo poeseos natura illum non amplius postulabat. Itaque post aliquot tentamina, parodias potissimum et allegorias, quae media vulgo comoedia dicitur, tandem ad vitam privatam a publica se convertens comoedia suam viam invenit, a qua plane chorus abesse debebat. Sic brevem habuit sed gloriosam vitam comoedia vetus; cum domina civitate, cuius luce et alimentis vixerat, consenuit, sed mox ex vita privata, cum publica exaruisset, novum sucum et sanguinem bibit; tragoedia cum in eodem curriculo perseverasset, brevi exstincta est.

Dictum est AA. quid poeticorum agonum leges valuerint ad dramatum oeconomiam stabiliendam. Restat ut quaeratur de venia fabulas docendi et praemiis poetis publice concessis. Inveniemus in choris et honoribus adiudicandis poesis ipsius commoda fere valuisse.

Chori tragici et comici concedendi arbitrium penes eponymum erat archontem; nec mirum; nam quis melius civitatis auctoritate chorum daret quam summus magistratus, cuius nomen in didascalia, qua eventus certaminis continebatur, apparebat? tanta praeterea pecunia insumebatur

---

[1]) Sophoclis Oedipus Coloneus docta est Ol. 94. 3 (402), cf. argum.; Astydamas Ol. 95. 2, Sophocles iunior Ol. 95. 4 tragoedias docere inceperunt. Diodor. XIV. 43, 53.

[2]) Mein. I, p. 302.

[3]) Strattis, ap. Mein. V. 53, Schol. Ar. Ran. 404: *ἐπὶ γοῦν τοῦ Καλλίου* (Ol. 92. 1, 412) *φησὶν Ἀριστοτέλης ὅτι σύνδυο ἔδοξε χορηγεῖν τὰ Διονύσια τοῖς τραγῳδοῖς καὶ κωμῳδοῖς.* — *Χρόνῳ δ' ὕστερον οὐ πολλῷ τινι καὶ καθάπαξ περιεῖλε Κινησίας τὰς χορηγίας.* Hoc postremum falsum est, aut lex brevi sublata. Nam in Ecclesiazusis (96. 4) et Pluto (97. 4) chorus non prorsus deest.

ludis, ut apparatus choricus, actores, chori magister, ipsius poetae merces [1]) non primo cuique possent dari. Ludorum quoque celebrationes, quamvis frequentes atque longae, non tamen ad omnem proventum poetarum sufficiebant. Mali quidem poetae, opinor, ab archonte non saepe arcebantur a Melpomenes et Thaliae sacris; nam aera lupinis distinguere non erat primi magistratus; redemtores ludorum melius suo commodo simul et desideriis spectatorum satisfacere probabile est quam civitatis rectores. Quod si quis dicat, archontem non decuisse assentari corrupto plebis iudicio, teneat velim ex illa „plebe" fuisse ipsum archontem, nec plus vidisse quam reliquos, et istiusmodi prohibitione et censura vulgo nihil plane effici; ruunt homines in vetitum, nec se tanquam servos aut imbecillos compelli patiuntur. Semel chorum novimus Cratino et Sophocli recusatum esse [2]), sed ipse Cratinus ab hoc iudicio postea quasi ad populum provocavit. Et in populari regimine, ubi quisque magistratus civibus gratificari cupit, intellegitur rarius ausos esse archontes civium voluntati resistere. Et cum proximo quoque anno alius archon chorum daret, si quid prior deliquisset, facile reparari poterat.

Nihil fere artibus et disciplinis funestius potest cogitari quam praepostera iudicia nasutorum criticorum, qui auctoritatem quandam male partam sustinent, suaque effata tanquam perfecti artis existimatores aliis obtrudunt. In reliquis artibus cum iniusta est condemnatio aequalium, exspectari potest iudicium posteritatis; fabula si non recto stet talo, spectatores iterum aegre invenit, potestque fieri ut iuvenes semel experti iniqua iudicia numquam postea se erigant. Id tum praecipue evenit cum favor et partes theatrales plausus et sibilos dividunt aut circulus quidam semidoctorum ex praeiudicata opinione de virtute dramatis pronuntiat. Neque enim de arte ex praestituta quadam norma iudicandum est; doctrina, quam theoriam dicunt, non ante artificia inventa est sed sequitur iudicia multitudinis, quae longa dies probavit. Itaque is qui nova et inaudita exigit ad regulam receptam, facile labi potest, dum obliviscitur, in poesi quoque novas

---

1) De mercedibus poetarum vid. Boeckh. Staatsh. I. p. 339 (ed. 2.). Archon vulgo dicitur sine ulla dignitatis significatione; eponymum fuisse, qui chorum daret, refert Pollux VIII. 89.

2) Hesych. v. πυρπερέγχει et Crat. ap. Mein. II. 27.

voluntates esse; dum vitia notat, ad virtutes caecus est; quae tamen, etiam magnis mendis iunctae, longum poetae prorogant aevum. Ac si de aliis possit dubitari, quem iudicem esse conveniat, dramaticam quidem poesin populo accommodatam esse debere, quis non videt? Nec dubium esse potest, quin drama tum aliquid vitii alat, si non placeat auditoribus, quibus sit destinatum. Populus autem quemadmodum non loquitur ex praeceptis grammaticorum, sic non sentit de praestantia tragoediae ex norma Aristotelica; aesthetice litteraria nata est post poemata, quemadmodum rhetorice post eloquentiam. Ceterum in libera civitate quo plures spectatores, eo minus loci est gratiae et favori; et populus totus est integer incorruptusque iudex, quod quaerit tantummodo quae se tangant, id est quae mentem humanam iucunde afficiant. Idem iudex non tantum ex animi sententia sed etiam recte iudicabit, si non semel iterumque sed saepius artis opera aut aspexit aut audivit. Iam vero poetis dramaticis Atticis contigit, quod haud scio an aliis numquam, ut in ea civitate, quae quasi serviret arti et cui nihil liberalissima poesis voluptate antiquius esset, omnibus, etiam pauperibus, aditus ad theatrum publice praeberetur; cuivis enim, fortasse iam multo ante Periclem, pecunia enumerata est, quam redemtori theatri pro aditu erogaret. Ac ne quis dicat, tenuissimos cives non esse optimos artis existimatores, teneatur velim, omnia artificia semper ad universorum cognitionem Athenis patuisse, ipsos cives fere in publico vixisse, et cum multarum rerum procurationem servis traderent, maius otium ad animi oblectationem potuisse conferre, denique optima aetate ad animi culturam eandem fere viam omnibus apertam fuisse. Non optamus fore ut iterum talis exsistat civitas, sed tamen negari non debet, universos cives ibi melius perspicere potuisse et reapse perspexisse, quid ars postularet, poetasque opportunitatem habuisse voluntatis popularis exquirendae et moderandae, quam alibi frustra quaeras.

Iam vero reputate AA. quanta prudentia Athenienses certaminis iudices eligi voluerint; nec doctos quosdam designarunt, ne aliena norma adhiberetur; nec eosdem semper, ne forte una quaedam voluntas praeponderaret; nec multo ante iudicium ferendum, ne gratiae aut corruptioni locus esset. Candidatos muneris iudicialis senatus admittebat; horum nomina in sitellam obsignatam coniecta ante ludos; peractis demum, ut videtur, fabu-

lis [1]), sorte iudices ex his designabantur. Fieri sane poterat, ut vel sic tamen quidam iudices non ex aequo bonoque pronuntiarent, et suspicamur sic re vera subinde factum esse [2]); aliquantum etiam casui relinquebatur, cum praesertim numerus iudicum, quantum novimus, exiguus esset (aut quinarius, aut quinario non multo maior), tamen plerumque tribunal hoc ex populi sententia pronuntiasse licet statuere; si enim contra populi mentem praemium adiudicasset, multum auctoritatis detraxisset suae ipsum sententiae, quae nisi populi voce comprobaretur, multum dignitatis amittebat.

At quaeritis AA., num recte iudicasse hos iudices ex ipsis appareat sententiis hodie notis. Difficile est hic pro certo quicquam affirmare; nam nec ex nota virtute poetae alicuius semper ad cuiusque fabulae hodie perditae praestantiam recte concluditur, nec ullius certaminis fabulas habemus omnes. Quaedam, ut verum fatear, satis mira: Sophoclis Oedipus Tyrannus, qua nobiliorem tragoediam haud facile invenias, victa est a Philocle, mediocris famae tragico; Aristophanis nec Nubes, nec Pax, nec Aves primas tulerunt. Aegre fert Aristophanes, suas Nubes priores displicuisse; sed poetae offensiones non possunt probare inique fuisse iudicatum, et ne nobis quidem, tanto temporis intervallo separatis, difficile fuerit in dramate causam improbationis invenire. Pax autem non optima est ex Aristophaneis. Et habuit comicus aemulos non vulgares, Cratinum, Eupolin, Amipsiam. Non exiguum autem documentum est integri et intrepidi iudicum animi, quod Equites, nihil perterriti minis Cleonis, primo praemio decorarunt, Vespas post Proagonem eiusdem poetae secundo, cum tamen insana fori Attici studia facete et evidenter derideantur.

Aliquanto melius de tragicis iudicare possumus. Nam quamvis Euripidis et Sophoclis multa interierint, tamen horum aemulorum merita recte inter se comparare possumus. Iam vero, quantum novimus, Euripides Sophocli posthabitus [3]). Euripidem, quem constat neotericae doctrinae asseclam fuisse et praeconem, quem ad affectus movendos efficacissimum merito vocat Aristoteles [4]), quem saepius quam ullum ex antiquioribus novimus

---

1) Plut. Cim. 8, Isocr. 17. 38.
2) Lys. 4. 3, Comment. Lys. p. 38, Dem. 21. 18.
3) Arg. Alcest. et Med. ap. Ddf.
4) De arte poet. 13. 10.

popularibus suis assentatum esse, proditum est septuaginta quinque minimum tragoediis non amplius quinque victorias reportasse; Sophoclem contra paulo tantum pluribus fabulis vel quintuplicem victoriarum numerum [1]). Si Athenienses minus subactum in rebus poeticis iudicium habuissent, facile Euripidis lenociniis inducti fuissent, ut novitatem antiquitati praeferrent, et illam ex discordibus principiis conflatam tragoediam aequis animis tulissent.

Est igitur cur putemus Athenienses fuisse in re scenica intellegentes prudentesque iudices; et vero si, quemadmodum eloquentiae [2]), sic poeseos quoque moderatrix est auditorum prudentia, et ex praestantia fabularum inversa ratione efficere possumus peritiam et perspicacitatem populi, habent Athenae totae quod glorientur tragoedia et comoedia a se eductis atque nutritis. Sine ullo exemplo quod imitarentur intra saeculi unius spatium evexerunt artem dramaticam ad fastigium, quod tum quidem attingi poterat, summum, nec ulla exstitit civitas, quae hoc nomine cum Atheniensi possit aequiperari. Ac ne forte existimetis, iudices fabularum prudentia multum ceteris civibus praestitisse, nullus erat Athenis doctorum ordo, qui vitae genere aut studiis ad talem provinciam essent parati et instructi. Ediscendis vetustioribus poetis et spectandis dramatibus nacti erant usum et familiaritatem cum optimis ingeniis; ea via ad sensum pulcri alendum unicuique patebat.

Quae cum ita sint, restat tamen ut quaeratur, num totum hoc tribunal poeticae excellentiae necessarium fuerit, cum nec populus totus impar esset iudicando, et sententia a iudicibus pronuntiata vim suam magna ex parte ex populi consensu mutuaretur. Sed tamen interest aliquid inter multitudinis vocem non satis subinde distinctam et iudicum religionem. Si quae sibilis erant excepta aut plausu probata, censorum vox vana erat aut supervacanea; sed saepe factum sit necesse est, ut ambigeretur, quam in partem populi sententia inclinaret, cum praesertim non solus victor renuntiandus esset, sed etiam qui secundas et qui tertias ferret. Erat aliquid proximum esse ab Aeschylo et Sophocle; prima sectantem hone-

[1]) Sophoclis exstant tituli 115, sed in his sine dubio spurii aliquot; Aristophanes grammaticus ei 87 aut 97 genuina dramata adscripsit. Victorias reportavit 24. Euripidis tituli sunt 75, secundum alios scripserat 98 fabulas. Singula videnda in Ddfii ed. V. [2]) Cic. Or. 24.

stum erat in secundis subsistere; et iuvenum ingenia sibi diffidentia poterat auctoritas iudicum erigere et confirmare. Praeterea tot fabulae una opportunitate agebantur [1]), ut exspectari non posset, omnes cives omnibus interfuturos. Denique iudicum sententia non tantum utilis sed etiam plane necessaria erat, quod choregus, qui impensas fecerat, poeta, qui aemulos superaverat, publice erant praedicandi. Coram civibus et hospitibus in theatro Bacchi, quod triginta milia hominum capere poterat, hedera sacra, taeniis vincta, victoris capiti imponebatur. Narrant Sophoclem mortuum esse accepto nuntio victoriae reportatae. Intellegimus seni iam debili et aetate fracto id accidere potuisse; nam si dexteritas gubernandi quadrigas Olympicos victores evehebat ad deos, quanto praeconio is dignus erat, qui arte sua non tantum semet ipsum sed innumeros prope aequales delectasse se intellegeret, quos lectissimarum sententiarum gravitate, verborum ponderibus, numerorum suavitate devinctos, vitae quoque modulos et symphoniam melius didicisse confidere posset.

Multa relinquere cogor AA., ne patientia vestra abutar, nec diligentiorem minutiarum demonstrationem haec opportunitas patitur; rerum tamen capita me satis exposuisse confido. Tantum autem exploratum videtur, patrocinium civitatis, quatenus poetis libertatem concesserit illibatam, arti scenicae profuisse.

Reliquit hanc comicis tantopere, ut non tam quaeri debeat suffeceritne, quam num forte nimia fuerit. Licuit poetis de omnibus, etiam probis viris quae vellent proferre. Cleonis peculatum, Cinesiae spurcitiem, Hyperboli fraudem, sycophantarum dolos perstrinxerint poetae, sed Niciam cunctatorem, Lamachum vanum, Calliam Sophistarum patronum, ceterum nec malos viros et bene de re publica meritos, Periclem ipsum et Socratem virulentissimis dicteriis incessi et lacerari quis probet? Quae coniiciuntur probra quasi sancita publice videantur, si civitatis praesidio tegantur. At facile est ad probandum, Athenienses non primo cuique poetae credulas aures praebuisse. Hyperbolus iste et Cleon dum sugillantur a poetis,

[1]) Amplius quatuor choregi tragoediarum Dionysiis maioribus significantur ab Isaeo 5. 36, quinque comoediae in actis theatralibus in Boeckh. C. I. I p. 352. Probabile est igitur singulas decem tribus chorum praebuisse.

nihilo minus imperium aliquamdiu tenent in bellis, et auctoritate quadam apud cives utuntur, nec Zeus Olympius, quem Periclem dicebant, fulmine suo truncatur, etiamsi Cratinus eius faciem et structuras aedificiorum irrideat. Quid? Ipse populus num censeri debet omnia ea calculo suo probasse, quae in Demum decrepitum iactat Aristophanes? Nimirum aliquid remanebat ex prisca Liberalium petulantia. Acuti, festivi, petulantes ipsi erant Athenienses, tamen, ut solet, φιλάνθρωποι, neq offensae intempestive memores. Socratem cum Aristophane convivio ab Agathone exceptum, postquam alter magistrum vehementer laesisset, fingit Socratis amantissimus Plato. At mihi propositum non erat demonstrare lusum iocumque coerceri non esse e re publica; tantum dico, quo maior sit impunitas, eo melius artis comicae commodis prospici; eam autem impunitatem civitatem patrocinio suo praestitisse.

Maiore iure quam comoediae nimiam fuisse libertatem, tragoediae nimis exiguam fuisse contendere licet. Tutela publica fecit ut forma tragoediae semel constituta aliquamdiu esset constans et immutabilis non sine detrimento tragicae artis.

Denique apparuit, in populari regimine popularem poesin publica cura crevisse et floruisse; non inde effici debet, sub alio regimine eandem poesin, aut sub eodem regimine aliam poesin publico patrocinio auctum iri. Tot ac tanta Athenis concurrebant, opes civitatis, regiminis forma democratica, ingenium civium ad omnem venustatem poeticam perspiciendam sagacissimum, denique genus poesis, in ipsa Graecia eductae atque nutritae, ut vix aliis civitatibus possint Athenae exemplo esse, cum parum probabile sit, tales opportunitates unquam alibi simul oblatum iri. Admirari possumus, non imitari.

Transeundum est ad diei sollemnia. Artis curam ad rem publicam nihil pertinere dixit aliquando vir summus, cui legem de imperio debemus. Id etsi possit defendi, modo recte intellegatur, tamen doctrina a civitate foveatur et alatur necesse esse, nemo negabit, vel hanc ob causam quod publica institutio superior sine hac ope ne cogitari quidem potest; nam hae sedes doctrinae et institutionis iustis desideriis non satisfacient, nisi larga manu suppeditentur quae ad scientiae incrementa requiruntur. Huius

igitur curae publicae nos quoque partem percepimus, non maximam, sed tamen aliquam. Ad bibliothecam enim et laboratoria necessariis ornanda dimidium nobis conceditur eius, quod Traiectinae Academiae contingit; attamen quis non intellegit, apparatum eundem requiri, etiamsi pauciores aliquanto adsint studiosi? Verum in eo iam longa assuetudine acquiescimus, quasi vero praeclare nobiscum agatur, si vitam qualemcunque producere nobis liceat. Me quidem spes tenet, Ministrum, qui est a rebus internis, si saepius vota nostra audierit, non recusaturum esse, quae aequitas postulet. Et fatendum est, ad supellectilem resarciendam anno peracto lautius aliquanto pecuniam esse erogatam, et prudenti dispensatione nunc quoque factum esse, ut maxime necessaria ad institutionem non deessent. Cuius rei laus potissimum debetur cum Curatoribus, VV. AA., tum Actuario, V. C., cuius promtam benevolentiam omnes experti sumus, tum viris Clarissimis, collectionum academicarum praefectis, qui non tam splendori quam utilitati prospexerunt.

Laboratoria et collectiones, quae ad Chemiam, Physicam, Zoologiam, Physiologiam, Anatomiam pertinent, novis apparatibus et instrumentis, quantum fieri potuit, aucta sunt. Ad lectiones Botanicas habendas dudum aptum auditorium requirebatur; votis Collegae aestumatissimi de Boer satisfactum est; in Horto plane novum aedificium surrexit amplum et commodum, quod praeter auditorium continet conclave microscopicis observationibus destinatum. Ut verum fateamur, AA., vix annus praeterlabitur, quin aliquid certe emendetur; tamen multum abest ut iustis desideriis satisfieri possit. In Bibliotheca Academica ad emenda diaria et opera per multa volumina continuata quotannis requiruntur plura; sumtus nosocomio novo exstruendo immensos erogandos esse apparuit, ut domesticae vires videantur non suffecturae, nisi largo supplemento ex aerario publico succurratur; interim gaudemus, quod certe ad quotidianos usus duodecim milia florenorum extra ordinem partim ex aerario publico, partim a Regione et urbe Groningana erogata sunt. Laboratorium Zootomicum in votis est; atque in eo perspici potuit, quantus consensus esset Ordinum, cum omnes studuerint Professores, ut alia dispensatione conclavium spatium necessarium in aedibus Academicis inveniretur.

Annus exactus luctuosis casibus non fuit immunis. Unus ex Professoribus, Clar. Huizinga, dilectissimam uxorem subita morte amisit; doluimus omnes et collegae afflictum animum erigere conati sumus, quamvis solatia paene deficerent et vix credere auderemus, fidem nobis habitum iri illud monentibus: »levius fit patientia, quicquid corrigere est nefas." Sed quid attinet domestica vulnera vix sanata rescindere? Utinam tempus et humanae vicissitudinis recordatio lenimen afferant.

Amisimus duos collegas, quorum utrique multa debet Academia. Neutrius equidem merita satis perspicere possum, utpote quae meis studiis ex parte tantum contingantur: alter Theologiae, alter Botanices Professor erat meritissimus.

